

Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare. Esto Deo subditus. Scriptum est enim, quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent: ad Sacerdotem, Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Idem planè Ambrosij, qui & Hosij, spiritus; eadem dicendi libertas; idem zelus. Utinam Sacellanus, & similes, qui in Anglia sunt, eodem spiritu, in simili causa vterentur. Sed paucent; nec expendent illud Christi apud Matth. 10.

19. Cum steteritis ante Reges, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loguitur in vobis.

5. Hosio & Ambrosio, in ea re, similis est Athanasius (magnæ apud Regem Angliae authoritatis) qui in Epistola citata, grauiter reprehendit Constantium Imperatorem, quod Ecclesiasticam Iurisdictionem sibi usurparet, id: quæ eum vocat *Antichristum, Apostata,* fidei desertorem, carnem, carnificem, filium perditionis, pestē, belluam, quæ ex membris humanis & animo ferino conflata est. Eundem cum Achabo, Antiocho, & Herode comparat, asserens malorum omnium esse voraginem & gurgitem, omnis impietatis caput, hereticonrum incitamentum, acerbitas radicem, blasphemiam propugnatorem, religionis euersorem, & quæ similia sunt. Addit denique inauditum esse, quod Reges & Imperatores misceant se causis ad Ecclesiam pertinetibus, & inter alia sic habet: *Quando à condito aeuo auditum est, quod iudicium Ecclesiæ, authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro iudicio agnatum est? Plurime antea Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt, sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit.*

6. Con-

6. Conspirant alij Patres S. Martinus Turonensis Episcopus, Maximo Imperatori in faciem dixit, *Nouum esse & inauditum nefas, quod causam Ecclesie, Index saculi iudicaret: ut est apud Sulpitium lib. 2. sacræ historiæ in fine.* Et Leontius Episcopus Tripolitanus, teste Suida, ad Constantium Imperatorem; *Miror, quomodo ad alia vocatus, alijs rebus te immisceas. Militaribus enim & Politicis rebus prefectus, in his, que ad solos Episcopos pertinent, praesse vis.* Et Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 17. *Ad hodiernam usque diem cernimus mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis.* Omitto reliquos.

7. Nec alia Regum & Imperatorum fuit sententia: Submiserunt se Episcopis & Pontifici; neque causas Ecclesiasticas ad se pertinere arbitrati sunt. Valentianus senior Imperator cum importunè rogaretur, ut permitteret haberi Concilium, in quo de quibusdā rebus fidei decerneretur, respondit: *Mihi, qui unus ē numero laicorum sum, non licet eiusmodi negotiis me interponere. Sacerdotes & Episcopi, quibus haec curæ sunt, ubi cūque ipsis liberum fuerit, conueniant.* Refert Sozomenus, lib. 6. hist. c. 7. Nicephorus lib. 11. c. 30. Ruffinus lib. 1. c. 2. Baronius tom. 4. Annalium anno 364.

8. Eodem sensu & affectu Theodosius Iunior in Epistola ad synodum Ephesinam; *Candidianum Comitē ad hanc sacram vestram synodum abire iussimus: sed ea lege & conditione, ut cum questionibus & controversijs, que circa fidei dogmata incident, nihil quicquam commune habeat.* Nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, cum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus se immiscere.

9. Basilius Imperator in oratione, quam habuit in octaua synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ Constantinoli celebrata est, in causa Photij Patriarchæ; *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quim*

quam qui absolute versamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesie & uniuersali synodo aduersari. Hac enim inuestigare & querere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, & soluendi potestatem habent: qui Ecclesiasticas adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solui egemus. Nihil clarior dici potuit. Nimis intellexit Imperator, non Reges, sed Episcopos Ecclesiae regimen sortitos esse; ideoque non illos, sed hos oportere statuere, quæ ad controuersiam Ecclesiasticam inter Photium & Ignatium spectare putabantur.

10. Simile exemplum habemus in Constantino Magno, qui, cum Donatistæ non contenti Episcopali iudicio, ad ipsum causam Ecclesie detulissent: ita exclamasse fertur; *O rapida furoris audacia! Sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Ita refert Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum. De eodem Imperatore scribit Aug. epist. 165. *Constantinus non est ansus de causa Episcopi indicare.* An Rex Angliae maior Constantino? Sacellanus ita vult.

C A P. I V.

An Rex titulo præscriptionis habeat Primum Ecclesie?

I. **H**oc planè videtur ipse velle. Nam in monitoria præfatione disertè ait, aliquos ex suis antecelsoribus usurpasse Primum Ecclesie in Anglia: neque passos esse, ut Pontifex ullam iurisdictionem ibi exerceret, sed ipsos eam sibi vendicasse. Itaque nihil noui Opusc. Tom. II. H h fe

se facere, eundem Primum usurpando.

2. Sed valde friuolum hoc est. Nam si sic licet argumentari, facile erit omnes penè abusus excusare. Ostendam simili exemplo, Rex Achaz in veteri Testamento, colebat falsos Deos, & veri Dei cultum negligebat. 4. Reg. 16. 3. Quæram, an rectè id fecerit, nec ne? Dicet rectè se fecisse: & sic probabit. *Aliqui ex meis antecessoribus coluerunt falsos Deos. Ergo nihil noui à me fit. Iure igitur facio.* Quid absurdius? Et tamen sic agit Rex Angliæ. Ostendit paucos è multis, qui obedientiā Pōtifici recusarunt; & eorum exemplo inobedientiam suam excusari vult. Sed frustra. Cum enim ius diuinum clarum & liquidum est, quid prodest in contrarium niti, etiam si infinita in contrarium proferantur exempla? At supra ostensum est, Ecclesiæ Primum ad Episcopos, non autem ad Reges, diuino iure pertinere. Hoc ius nulla præscriptione, nulla consuetudine humana aboleri potest. A Deo, qui homine maiore est, vim suam habet. Ergo quamdiu Deus vult, vim suam retineat, necesse est.

3. Addo, si ex factis Regum volebat argumentari Rex, sic potius concludendum ei erat: *Multo plures ex meis antecessoribus venerati sunt autoritatem Pontificis, quam respuerunt: Ergo & ego venerari eā volo, non respuerere.* Nec dubium, quin ita sit. Testes sunt Lucius, Eduinus, Osvaldus, Sigebertus, Penda, Ina, Eduardus, Hēricus 2. & complures alij. Extant illorum acta. Ex iis hęc accipe.

4. Eduardus in epist. ad Nicolaum 2. Pontificem, circa annum Christi 1060. ita scribit: *Summo uniuersalitatis Ecclesiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorū Rex debitā subiectionem & obedientiam. Pauca, sed ponderosa verba. Agnoscit illum Patrem, & quidem summū Patrem: nec unus alicuius particularis, sed uniuersalis*

Ecclę

Ecclesiæ Patrem. Quid amplius? Debitam subiectiō-
nem & obedientiam illi promittit. An hoc faceret, si
supra Pontificem putaret esse Regiam maiestatem?

5. Nec aliter Henricus 2. in epistola ad Alexandrū
3. quæ habetur apud Petrum Blessensem Secretarium,
epist. 136. *Vestræ, inquit, magnitudini promitto, me vestræ
dispositioni in omnibus pariturum. Itemque, Deus extulit
vos in eminentiam officij pastoralis, ad dandam scientiam sa-
lutis plebi eius.*

6. Regem Regina imitata est, pari animo, pari sub-
iectione. Aleonoram dico, Hērici Regis vxorem. Scri-
psit illa tres epistolæ ad Cœlestinum Papam, in qui-
bus vocat eum *Principem Sacerdotem, Vicarium crucifixi,*
*successorem Petri, Christum Domini, Deum Pharaonis, or-
bis Episcopum.* Et inter alia sic addit; *Non rex, non Imper-
ator à iugo vestræ iurisdictionis eximitur.* Et rursus; *Chri-
sti crux antecellit Casaris Aquilas: gladias Petri gladio Cō-
stantini, & Apostolica sedes præiudicat Imperatoria poter-
stati.* Quid clarius? Extant hæ Epistolæ apud eundem
Blessensem epist. 144. 145. & 146.

7. Hinc iam satis appareat, quid olim senserint Re-
ges Angliae de primatu Romani Papæ. Ausim addere,
vix vlos in orbe Christiano extitisse Reges, qui tā be-
nè de Pōtifice meriti sint, quam Anglicani. Parum pu-
tarunt, si in Ecclesiastico regimine illi parerent. Ipsum
regnum, etiam in temporalibus, feudatarium illi fece-
runt. Fatetur hoc Henricus 2. in Epist. ad Alexandrum
3. iam citata, his verbis; *Vestræ iurisdictionis est regnum
Angliae: & quantum ad feudatarij iuris obligationem, vo-
bis duntaxat obnoxius teneor & obstringor.*

8. Multò fusius id persequitur Polydorus Virgilius
libro 4. historiæ Anglicanæ, vbi de Ina Rege sic scri-
bit: *Officia eius Regis, pietatis plena, infinita produntur: &
illud imprimis, quod regnum suum Romano Pontifici vecili-*

gale fecerit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis. Fecit idem, eius exemplo, ut opinor, ductus, Offa Merciorum Rex, qui non multo post id tempus regnauit. Fuit is annus salutis circiter 740. Hoc vectigal, prout quidam scribunt, auxit postea Atulphus Rex, qui ut proximo libro demonstrabitur, totius fere Insulae imperium tenuit. Omnis Anglia hoc tempore (nimirum sub Henrico 8.) istud vectigal pietatis & religionis causa, Romano Pontifici perdit domesticatum collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgo denarij D. Petri, quos Pontificius questor, quem non inscienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim questuram aliquot per annos gessimus, eiusque munieris obcundi causa, primum in Angliam venimus.

9. Magnum testimonium. Ex quo colligimus, Reges Angliae, non alia quam pietatis & religionis causa, suum regnum fecisse Pontifici vectigale. Sane si Rex Iacobus volebat suorum antecessorum vestigiis infestare: cur hos Reges, qui à pietate & religione commendantur, imitatus non est: cur, inquam ab horum pietate & religione tam longe abcedit? Cur, cū illi, tam in temporalibus, quam Ecclesiasticis, Pontifici se submitterent; ipse in utrisque illum abiicit & contemnit? Et quod magis mirum est, cur aliis quoque Regibus, ut idem faciant, conatur persuadere?

10. Ex dictis sic infero: Si in hoc negotio, praescriptioni locus esset, ea nobis potius fueret, quam Regi. Ab antiquis enim temporibus, ut iam ostensum est, usque ad Henricum 8. Elisabethae parentem, tota Anglia quotannis solita est Romano Pontifici dare vectigal, in recognitionem supremæ ipsius iurisdictionis Ecclesiasticae: Ergo hoc suo facto, tam longa consuetudine praescripto, satis testatur, Pontificem esse Primate Ecclesiae vniuersalis, atque adeo Anglicanæ.

C A P V T V I I .

An Rex ex propria doctrina possit Primum suum defendere?

I Nuenio duo principia in libello Regis, quæ si vera sunt, Primum suum tueri nō potest. Vnum est (in quo conuenit cum Bellarmino) quod, qui habet Primum Ecclesiæ, possit creare & deponere Episcopos: dare illis iurisdictionem & auferre. Vnde Bellarminus, quia vult Pontificem habere Primum totius Ecclesiæ, consequenter dicit, Pontificem in tota Ecclesia posse id facere. Rex verò, quia putat vnumquemque Regem in suo regno, & Imperatorem in suo Imperio, habere Primum Ecclesiæ: consequenter dicit, vnumquemque Regem in suo regno, & Imperatorem in suo Imperio posse creare Episcopos & deponere: dare iurisdictionem & auferre. Quod autem Rex Angliæ ita sentiat, patet ex ipsius verbis. Sic enim habet in monitoria præfatione: *Primum illud videamus, quam longè Imperatores atque Reges, qui superioribus sæculis religiose Christianèque vixerunt, ab eo abfuerint, ut ius in se aliquod Pontifici esse crederent: cum contra Papas ipsi creuerint, in ordinem redegerint, adeoque de sede deiicerint. Quibus verbis conatur ostendere, Pontifices olim nō habuisse Primum Ecclesiæ supra Reges & Imperatores: sed hos potius habuisse supra illos. Quare? quia potuerunt creare, in ordinē redigere, & de sede deiicere Pontifices.* Et paulò post: *Sed & per etates complurimas certum ius ac inniolatum apud Imperatores mansit, Romanos Pontifices creandi.* Et in Apologia id confirmat exemplo Regum veteris Testamenti; *Qui, inquit, exauthorauerunt summum Pontificem, altumque in eius locum subrogauerunt.* In summa, cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesia

clericasticum regimen quoquo modo pertinuerunt. Eodem modo loquitur Sacellanus Regis in Tortura Torti. *Ad regem, inquit, pertinet, Pontificem exauthorare, & in locum Abiathari Sadocum surrogare. Facit hoc, credo, ad primatum Regis.*

2. Alterum Principium Regis est (in quo dissentit; non solum à Bellarmino, sed etiam à seipso, ut videbimus) quod Episcopi omnem suam iurisdictionem immediate accipient à Deo. Sic enim habet in monitoria præfatione: *Episcopos esse in Ecclesia debere, tanquam institutionem Apostolicam, ac ordinationem proinde diuinam, contra Puritanos, contraque Bellarminū semper sensi, qui negat Episcopos à Deo immediate suam iurisdictionem accepisse. Sed nihil mirum, à Puritanis cum stare, cū Iesuitæ nihil aliud, quam Puritanopapista sint.* Hic duo obiter notanda sunt. Vnum est, quod sermo sit de Iurisdictione exteriori, de qua etiā quæstio nostra est. Hanc enim Bellarminus vult immediatè conferri à Pontifice; non autem potestatem ordinis, vel iurisdictionis interioris, ut patet lib. 4. de Pontifice cap. 24. & 25. Alterum est, quod Bellarminus, cū agitur de hac Iurisdictione Episcoporum, nullo modo consentiat cum Puritanis, ut hic falso illi affingitur. Nam Puritani duo docent. 1. Hanc iurisdictionem conferri à populo vel magistratu sæculari. 2. Äqualem esse in Episcopis & aliis Ecclesiæ ministris. Tollunt enim omnem ordinū distinctionem, & hierarchiam Ecclesiasticam; & in omnibus volunt esse æqualitatem & paritatem. Hoc fatetur Rex in monitoria præfatione, his verbis; *Et quo studio in Episcopū & Ecclesiasticā hierarchiā defensionē semper incubui, eodē in confusam illam Anarchiam & Parilitatem Puritanorum inuectus sum.* Et infra; *Egone Puritanus, qui suam Episcopis dignitatem restitui, & æqualitatem illam popularem repressi?* At Bellarminus in utroque puncto

ab iis dissidet. Nam primò; non vult iurisdictionem Ecclesiasticam conferri à populo, vel magistratu sacerdotali: sed immediatè à Pótifice, mediatè verò à Deo, ut disertè fatetur lib. 4. de Pontifice, cap. 25. in solutione quartæ obiectionis. *Vtrumque*, inquit, *tam ordo, quam iurisdictio, à Deo confertur: sed ordo immediate, iurisdictio mediatè*. Secundo, vult Episcopos in hac potestate & iurisdictione, superiores esse aliis Sacerdotibus, qui Episcopi non sunt; & quidem iure diuino. Sic enim habet lib. 1. de Clericis cap. 14. *Ecclesia Catholica distinctionem agnoscit, & docet iure diuino Episcopatum presbyterio maiorem esse, tum ordinis potestate, tum etiam iurisdictione*. Et hoc probat authoritate Concilij Tridéntini, & variis argumentis. Itaque toto, quod aiunt, cælo distat à Puritanis. Sed hæc obiter. Nunc ad rem.

3. Ex his ergo duobus principiis, quæ ex libello Regis desumpta sunt, conficio hunc syllogismū, contra Regem. Qui habet Primum Ecclesiæ, potest dare & auferre iurisdictionem Episcopalem, quibus vult, iuxta secundum principium: At Rex Angliæ nō potest dare & auferre iurisdictionem Episcopalem, quibus vult: Ergo Rex Angliæ non habet Primum Ecclesiæ in Anglia. Minorem probo ex primo principio, quia Episcopi omnem suam iurisdictionem accipiunt immediatè à Deo: Ergo non accipiunt illam immediatè à Rege: Ergo Rex non potest illam immediatè dare: Ergo nec auferre.

4. Hinc duo infero. Primum est, quod Rex sibi ipsi contrarius sit. Nam uno loco dicit, iurisdictionem Episcopalem immediatè accipi à Deo: altero, eandem dari & auferri immediatè à Rege; quæ duo non cohærent. Vel ergo Rex non potest illam dare & auferre; & sic non habet Primum Ecclesiæ: vel si potest, falsum est, quod contra Bellarminum dixit, iurisdictionem Epi-

scopalem immediatè à Deo conferri. Posterius est, quod Bellarminus, quem Rex oppugnat, consequenter locutus sit; quod Rex facere nō potuit. Dixit enim Pontificem habere Primum Ecclesiæ, & posse dare & auferre iurisdictionem Episcopalem. Dixit etiam hanc iurisdictionem esse quidem à Deo, non tamen immediatè ab eo conferri, sed mediante Pontifice. Hæc autem optimè cohærent.

5. Ex omnibus, quæ hactenus disputata sunt, ita concludo; Rex Angliæ, nec iure naturali, nec iure diuino veteris Testamenti, nec iure diuino noui Testamenti, nec iure ciuili aut canonico, nec consensu doctorum hominum, nec titulo legitimæ præscriptionis, nec ex principiis propriæ doctrinæ, potest habere Primum Ecclesiæ in Anglia: Ergo nullo modo potest eum legitimè habere. Fácessant igitur Sacellanus & similes adulatores, qui contrarium illi persuadent.

C A P V T V I I I .

Quod sit ergo officium Regis circa Ecclesiam?

O Stendi hactenus prolixè, Reges & Principes sacerdtales nō habere Primum seu iurisdictionem exteriorem in Ecclesia, ac proinde sua authoritate nō posse Ecclesiam regere, synodos conuocare, lites & controvérsias fidei dirimere, Ecclesiæ ministros creare vel deponere, contumaces excōmunicare; sed hæc omnia ad Episcopos & Ecclesiæ Prælatos diuino as humano iure pertinere. An igitur Regibus in regimine Ecclesiastico nihil reliquum est? An planè ab hac cura exclusi & immunes sunt? Dieam paucis, quod res est: & dabo Cæsari, quæ Cæsar is sunt: Deo, quæ Dci.

2. Ac primū illud statuendum est contra Politicos, Reges & Principes Christianos non ita debere sua regna ac prouincias administrare, ut omnem religionis & Ecclesiae curam abiificant, tanquam nihil ad se pertinentem, & usurpent illud Donatistarum: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* quod tantopere reprehendit Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 92. Hoc enim & sacris literis, & bonorum Regum exemplis, & rationi ipsi contrarium est. Laudantur in sacris literis David, Ezechias, Iosaphat, Asa & Iosias, quod cultum ac religionem Dei, vel promouerint, vel restaurarint. Eorum exemplum in novo Testamento imitati sunt Constantinus Magnus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus, Ludouicus, & alij. Contra vero, non solum reprehensi, sed etiam puniti sunt, qui religionem & fidem contempserunt, ut Ieroboam, Achab, Achaz, Amon. Et ratio est, quia Reges, qui in sublimi potestate positi sunt, sicut ipsi ab inferioribus iure honorantur; sic Deum ipsum, a quo potestatem consecuti sunt, & cui iure naturae subiiciuntur, merito honorare debet, & ipsius gloriam ac maiestatem ubique propagare. Vnde Agapitus ad Iustinianum Imperatorem: *Honore quolibet sublimiore cum habeas dignitatem, ô Imperator: honora super omnes, qui hac te dignatus est: quoniam iuxta similitudinem cœlestis regni, tradidit tibi sceptrum terrene potestatis, ut homines edoceres iusti custodiam, & eorum, qui quasi canes aduersus ipsam rabiunt, insectareri latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro iure.*

3. Secundo statuendum est, eosdem Reges & Principes Christianos, nullo modo in suis regnis ac prouinciis debere admittere libertatem fidei ac religionis, si impedire eam possint. Haec enim libertas plane illicita, & Christianæ doctrinæ contraria est. Nam ut

alibi dixi, multa in Euangelio sunt, ex quibus constat, Christum vnam fidem mandasse; variam ac multiplicem prohibuisse. Ac primò, voluit vnam tantum esse Ecclesiam, vnum ouile, vnum pastorem, vnum baptis-
mum. Hæc autem sine unitate fidei consistere nō pos-
sunt. Secundò, voluit discipulos suos attēdere à falsis
prophetis: at in multiplici religione necesse est, alios
esse veros, alios falsos prophetas. Ergo, si hi excluden-
di sunt, fides vna retinenda est, varia explodenda. Ter-
tiò, voluit Ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes
inferorum potestates resistere nō possint. At perpetua
esse non potest, si vna omnium fides nō sit, quod ipse
testatur Luc. 11.17. *Omne regnum in seipsum diuisum de-
solabitur.* Apostoli disertis verbis idem confirmant.
Rom. 16.17. *Rogo autem vos fratres, ut obseruetis eos, qui
dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos di-
dicistis, faciunt; & declinate ab illis.* Galat. 1.18. *Licet nos
aut Angelus de calo Euangeli et vobis, præterquam quod
Euangeli animus vobis anathema sit.* 1. Cor. 1.10. *Obse-
cro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in
vobis schismata.* 1. Cor. 14.33. *Non enim est dissensionis
Deus, sed pacis.* Ephes. 4.5. *Vnus Dominus, una fides, vnu
baptisma.* Hebr. 13.9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite
abduci.* Vides, quam seriò, quā sollicitè & grauiter hot-
tetur Apostolus, ut unitatem fidei retineamus. Quod
non faceret, si libertas indulgeri possit. Plura in hanc
sententiam dicta sunt in disputatione, *De fide hæreticis
seruanda,* cap. 10. Nunc illud solum addo ex Augustino
epist. 66. *Quæ est peior mors anime, quam libertas erroris?*

4. Quid ergo facient Reges circa Ecclesiam & re-
ligionem, si neque curam illius omnino reiicere, nec
etiam libertatē indulgere possunt? Dicam verbo. De-
bent illam tueri ac defendere, non ut Domini, sed ut
ministri: neque ut Iudices, sed ut executores. Hoc olim
fecerunt

fecerunt Christiani Principes: Hoc verbo testati sunt, Carolus Magnus, ut alios omittam, apud Sagoniū lib. 4. de regno Italiæ, sic ait; *Si Ecclesiarū Dei seruis magnificientiam nostrā impertimus, eorumq; studiis liberter obsequimur: id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus. Si, inquit, obsequimur Ecclesiarū Dei seruis. Obsequium offert; non arrogat sibi Primatum. Vult esse minister in defensione Ecclesiæ, non Dominus.*

5. Idem Carolus, cum à Leone Papa coronam Imperij accepit, hac formula iurisiurandi usus est; *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. Imperator coram Deo & B. Petro Apostolo, mē protectorem ac defensorem fore huius sanctæ Romanae Ecclesiæ, in omnibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout sciero poterōque.* Refert Sagonius loco citato.

6. Et iampridem usu receptum est in Francia, Hispania, Anglia, Polonia, Hungaria, ut simili iuramento obstringant se Reges, & nominatim promittant, defensuros se Ecclesiæ ac religionem, eiusque Prælatis debitam reverentiam & subiectionem præstituros. Neque hoc quicquam derogat ipsorum maiestati: imò perhonorificum est. Rectè Ambrosius epist. 32. ad Valentianum Iuniorem; *Quid est, inquit, honorificentius, quam ut Imperator dicatur filius Ecclesiæ? Imperator enim bonus, intra Ecclesiæ, non supra Ecclesiæ est.* Et Theod. Italiæ Rex ad Ioannem Pontificem: *Sum quidem iudex Palatinus, sed vester non desinā esse discipulus. Nam tūc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minime discedamus.*

7. Non ibo longius in hoc genere. Satis, opinor, iam constat, quam curam circa religionis & Ecclesiæ defensionem habere debeant Reges & Principes sæculares. Hoc addo, non deesse exempla huius rei, etiā hoc tempore, præsertim in Francia, Hispania, Polonia, Belgio, Germania, Italia.

Secunda pars refutationis,

DE ERRORIBVS ET PARADOXIS REGIS ANGLIÆ.

Rex in monitoria præfatione, *Catholica fidei defensorem* se appellat: quo titulo Henricus octauus, propter defensam contra Lutherum Ecclesiam Romanam, à Leone Pontifice ornatus fuit. At quo iure, Iacobus, Henrici successor, eundem sibi vendicet, non video. Primò, quia longè aliter agit, quam Henricus. Non enim defendit Romanam Ecclesiam contra Lutherum, ut ille: sed eam cum Luthero oppugnat. Secundò, quia in sua præfatione, ubi hunc titulum usurpat, multos habet errores circa fidem; multa paradoxa. Errores sunt hi. 1. Damnandam esse intercessionem Sanctorum, Missam priuatam, communionem sub una specie, Transubstantiationem, adorationem Christi in Eucharistia, thesaurorum Ecclesiæ. 2. Reliquiarum & imaginum cultum esse intolerabilem idolatriam. 3. Nullum esse Purgatorium, nec satisfactiones pro defunctis. 4. Petrum non fuisse Vicarium Christi, nec habuisse Primum Ecclesiæ. 5. Papam esse Antichristum. 6. Veram crucem Christi, in qua ipse pependit, non esse adorandam. De his & similibus, quia sape à nostris refutati sunt, nihil dicam.

2. Paradoxa sunt hæc. 1. Spiritum sanctum esse Vicarium Christi. 2. Regem esse Vicarium Dei, tam in Ecclesiasticis; quam in temporalibus. 3. Henoch & Heliam ante Christi aduentum fuisse in cœlo cū corpori

poribus glorificatis. 4. Non habendos esse pro Christianis, qui credunt Henoch & Heliam ab Antichristo interficiendos. 5. Per duos testes in Apocalypsi, intelligi Vetus & Nouum Testamentum. 6. Beatam Virginem Mariam ita perfundi gaudio cœlesti, ut de nobis non possit cogitare. 7. Vnumquemque debere super certa sua scientia fundamentum fidei collocare. 8. Si Concilium generale conuocandum esset, excludi debere Iesuitas & Puritanos. De his nouis, & vix vñquam auditis Paradoxis, breuiter agendum est hoc ordine.

1. *De Vicario Christi.*
 2. *De Vicario Dei.*
 3. *De Henoch & Helia, an sint in cœlo?*
 4. *De Henoch, & Helia, an sint interficiendi?*
 5. *De duobus testibus. Apoc. 11.*
 6. *De Beata Virgine Maria.*
 7. *De fundamento fidei.*
 8. *De concilio generali conuocando.*
-

C A P. I.

De Vicario Christi.

1. **C**hristum esse monarcham & supremum caput Ecclesiæ, fatetur Rex. Et rectè. Nam Scriptura apertè id docet. Ephes. 1. 23. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Et Ephes. 5. 23. *Vir caput est mulieris : sicut Christus caput est Ecclesia.* Et Coloss. 1. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesia.* Et alibi saepius.

2. Quæstio est, an habeat aliquem Vicarium, qui illius viccs in Ecclesiæ regimine suppleat ? Catholici docent, Petrum & successores eius id præstare. Lutherani & Caluinistæ negant, quia alioqui sequeretur, inquietum, Ecclesiam habere duo capita, nempe Christum

stum & Pontificem: ac proinde monstrosam esse. Rex Angliae, in monitoria præfatione, utrisque se opponit. Vult quidem aliquem esse Vicarium Christi in Ecclesia, quod est contra Lutheranos & Caluinistas: non tamen esse Petrum cum suis successoribus, quod est contra Catholicos: sed esse Spiritum sanctum, quod est nouum commentum.

3. Hic primum quæro, propriè an impropriè loquatur Rex, cum hoc ait? Si propriè, errat, si impropriè, decipit. Vtrumque ostendo. Et incipio à posteriori. Nā si impropriè loquitur, erit hic sensus; *Petrus non est impropriè Vicarius Christi: Spiritus S. est impropriè Vicarius Christi.* At hoc non venit in controuersiam inter nos & aduersarios. De Vicario propriè dicto, vtrinque disputamus. Igitur Rex, qui relicto statu controuersiæ, aliud respondet, quam quod in quæstione est, non sincè agit cum Lectore, sed fallit ac decipit.

4. Si autem propriè loquitur, erit hic sensus; *Petrus propriè non est Vicarius Christi: Spiritus sanctus propriè est Vicarius Christi.* At hic duplex error est. Alter de Petro, quem alio loco refutabimus: alter de Spiritu sancto, qui hoc uno argumento refelli potest. Vicarius propriè loquendo, minor seu inferior est eo, cuius est Vicarius: si ergo Rex dicit, Spiritum sanctum esse propriè Vicarium Christi, necesse est eum dicere, Spiritum sanctum esse minorem Christo. Hæc autem est hæresis Macedoniana. Rex ergo hereticus est, si hoc dicit. Quod autem Vicarius propriè loquendo, minor sit eo, cuius est Vicarius, certum est ex communi hominum usu & conceptu, non solum apud Catholicos, sed etiā apud aduersarios. Nam quando Caluinus ait, *Christum esse Vicarium Dei Patris:* Caluinistæ interpretantur hoc de Christo secundum humanitatem, non autem secundum dignitatē. Et quare obsecro: Ne cogantur concede

cedere Christum secundum diuinitatem minorem esse Patre, quæ est hæresis Ariana. Supponunt ego Vicarium propriè loquendo, minorem esse eo, cuius est Vicarius. Vide Conradum Vorstium Caluinistam in sua *Apologia disp. 2. §. 57.*

5. Addam duo dilemmata. *Vnum*; Vel Spiritus sanctus est propriè Vicarius Christi secundum humanitatem, vel secundum diuinitatem. Si prius, sequitur Spiritum S. esse minorem Christo homine, quod est valde absurdum. Si posterius, sequitur Christum secundum diuinitatem esse caput Ecclesiæ, quod etiam absurdum est. Nam quatenus est caput Ecclesiæ, non habet regnum temporale, ut fatetur Rex Angliæ; ex illo Ioan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Habet autem regnum temporale, quatenus est Deus; Ergo quatenus Deus est, non est caput Ecclesiæ. Vnde Augustinus lib. 1. Trinit. c. 12. *Christus secundum formam Dei, primogenitus omnis creaturæ: secundum formam serui, caput corporis Ecclesiæ.*

6. *Alterū:* Vel Spiritus sanctus est propriè Vicarius Christi in externo regimine Ecclesiæ, vel in interno. Non prius, quia non appareat fidelibus in externa & visibili specie: nec facit ea visibiliter, quæ fecit Christus in mortali carne. Non enim administrat Sacra-menta: non habet conciones in publico; non increpat subditos delinquentes. Nec posterius: quia licet hec omnia faciat occulta quadam vi, nempe per internam illuminationem, sanctificationem & increpationem: id tamen non sufficit, ut propterea dicatur esse propriè Vicarius Christi: Primo, quia etiam in Veteri Testamento illuminabat Prophetas, sanctificabat Patriarchas, increpabat peccatores: Et tamen non erat tunc propriè Vicarius Christi. Secundo, quia is propriè censetur fungi officio Vicarij, qui prestat ea no-

mine Principis, quæ à Principe, cum præsens est, præstat solent. At Christus, cum præsens erat, vñsibiliter administrabat Ecclesiam : Ergo Spiritus sanctus, qui hoc non facit, non est propriè Vicarius Christi. Tertio, quia illuminatio, sanctificatio, & increpatio, cum sint opera Trinitatis ad extra (ut loquuntur Theologi) non magis conueniunt Spiritui sancto, quam alijs personis : Ergo nulla causa est, cur in huiusmodi operibus, Spiritus sanctus sit potius Vicarius Filii, quam Pater aut Filius sit Vicarius Spiritus sancti.

7. Dicit fortè Rex, ista opera esse quidem toti Trinitati communia ; sed tamen per quandam accommodacionem tribui Spiritui sancto, iuxta illud tritum axioma: *Potestia Patri, Sapientia Filio, Sanctificatio Spiritui sancto appropriatur.* At hæc responsio seipsum destruit. Nam illuminatio propriè pertinet ad sapientiā. Si ergo Sapientia Filio accommodatur, ut in responsione dicitur : necesse est, illuminationem quoque Filio accommodari, quod eidem responsioni repugnat. Et sic sola sanctificatio erit propria Spiritui sancto. At hinc ulterius sequitur Spiritum sanctum non esse Vicarium Christi in sanctificando. Si enim sanctificare est proprium Spiritus sancti, iam in eo opere non agit vices alterius, sed suas. Quomodo ergo alterius Vicarius dici potest? Aut si potest, cur non similiter Pater est Vicarius aliarum personarum in creando, & Filius in illuminando?

8. Nec video, quid pro Rege adferri possit, nisi fortè illud Ioan. 15. 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Hinc enim videtur colligi, sanctum Spiritum missum esse à Christo, ut Vicarius ei esset. At non rectè inde colligitur. Non enim à solo Filio, sed à Patre quoque missus est, iuxta illud Ioan. 14. 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine*

ille vos docebit omnia. Si ergo propter missionem à Filio dicendus esset Vicarius Filij; cur non similiter propter missionem à Patre dici posset Vicarius Patris? quod tamen Rex non vult.

9. Occurri potest, non ideo præcisè Vicarium appellari, quia mittitur: sed quia mittitur, ut suppleat locum mittentis. Tametsi ergo mittatur à Patre & Filio, non tamen utriusque appellari Vicarium, sed solius Filij, quia non mittitur, ut suppleat locum utriusque, sed solius Filij. At hoc iam refutatum est. Ostédi enim, nec in externo, nec in interno regimine, propriè supplere illius locum. Si ergo nec ratione missionis, nec ratione officij, potest appellari Vicarius Christi, nulla ratione appellari ita potest. Et hoc ipsum est, quod contendimus.

10. Loquor autem propriè. Negari enim non potest, Spiritum sanctum impropiè saltem vocari aliquo modo posse Christi Vicarium, quia post mortem & discessum Christi, multa per inspirationem docuit Apostolos, quæ Christus volebat eos scire. Et hoc sensu dixit Tertullianus in libro de præscriptionibus c. 13. *Regula fidei est, Christum in cœlos receptum sedere ad dextram Patris: misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat.*

C A P. I I.

De Vicario Christi.

Rex Angliae, sicut ait Spiritum sanctum esse Vicarium Christi in Ecclesia, non tamē in politia temporali, quam Christus non habuit; sic vult unumquemque Regem in suo regno, Vicarium esse Dei non modo in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis; & qui-

dem supra Episcopos & Pontifices. Hinc in sua monitoria præfatione ait : *Nostrum est prouidere , qui in terris Dei vicarij sumus.* Itemque , *Nam neque me Pontifice ultra ex parte inferiorem esse credo , pace illius dixerim.*

2. Vnde sequitur, duos esse Vicarios in Anglia, nempe Spiritum sanctum & Iacobum Regem : hunc quidem Dei: illum autem Christi : alterum in saecularibus & Ecclesiasticis simul : alterum in solis Ecclesiasticis. Quod dupliciter refelli potest. Primo , quia inde efficitur , Regem Angliae maiorem esse Spiritu sancto, ratione officij. Hoc sic ostendo. Qui est Vicarius Dei in saecularibus & Ecclesiasticis simul, maior est eo, qui est in solis Ecclesiasticis. At Rex dicit, se in utroque genere esse Vicarium Dei: & Spiritum sanctum in altero tamē esse Vicarium Christi: Ergo in officio Vicarij, facit se maiorem Spiritu sancto.

3. Secundo: Si Rex in Primatu Ecclesiae supra Apostolos & Episcopos ponendus est , quæro , quem ordinem & locum in hierarchia Ecclesiastica sortiri debet ? An immediatè post Christum ? At sic esset supra Spiritum sanctum , quem Christi Vicarium esse vult. An potius post Spiritum sanctum , & tamē supra Apostolos & eorum successores , ita ut medius inter hos & illum sit? At Spiritus sanctus immediatè docet Apostolos , & illis immediatè promissus est , vt fateatur Rex his verbis: *Nec Christus , antequam in cælum ascenderet , pollicitus est se Petrum , qui Apostolos dirigeret ac doceret relicturum sed Spiritum sanctum se in eum finem misurum esse prædictum.*

C A P. III.

De Henoch & Helia, an sint in cœlo?

1. **R**Ex docet Henoch & Heliam per multa annorum millia fuisse in cœlo cum corporibus glorificatis. Sic enim ait; *Vt autem illi* (Henoch & Helias) *qui tot millia annorum cœli fuerunt incolæ, mortalitatis legibus soluti redeant in hanc vitam.* sicut commentitium est figuramentum, ita naturæ planè repugnat sanctificatorum corporum. Vnde sequitur, si tot annorum millia fuerunt in cœlo & cœlesti beatitudine fuisse, ibi ante Christi mortem & ascensionem. At hoc falsum planè est, & aperte contra scripturam: quod tripliciter ostendo.

2. Primo: Scriptura docet, cœlum mansisse clausum toto tempore veteris Testamenti, usque ad Christi passionem. Heb. 9.6. *In priori Tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quæ offert pro sua & populi ignorantia.* Hoc significat Spiritus sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum, id est, Quod in veteri Testamento non liceret Sacerdotibus ingredi sancta sanctorum; per hoc significabat Spiritus sanctus, viam cœlorum nondum fuisse tunc apertam & patefactam. Simile est illud Heb. 10.19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen,* id est, carnē suā. Quid clarius? Ait Christum suo sanguine parasse nobis viam nouam ad cœlum, quod antea adiri non poterat. Ad quod attendens D. Hieronymus in epist. ad Dardanū, sic scribit; *Sanguis Christi clavis paradisi est.* Ex his ita cōcludo; Toto tempore veteris Testamenti

vsque ad mortem Christi, clausum & inaccessibile fuit cœlum propter peccatum Adami: Ergo illo tempore, Henoch & Helias ingressi non sunt.

3. Secundo; non solum constat ex Scriptura, cœlum fuisse clausum vsque ad mortem Christi, ut iam dictum est, sed etiam Christum fuisse primum, qui illud ingressus est. Heb. 6. 26. *V*sque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiit Iesus. Hic dicitur Christus intrasse interiora velaminis, id est, cœlum, tanquam præcursor teliqorum omnium. An non fuisset præcursor, si Henoch & Helias ante illum intrassent?

4. Tertiò; ex Scriptura constat, omnib. semel morientibus esse, iuxta illud Hebr. 9. 27. *S*tatuū est omnibus hominibus semel mori. Et Psal. 88. 49. *Q*uis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? quasi dicat, Nemo. At Henoch & Helias nondum mortui sunt. Ergo adhuc moriendum illis est: Ergo non sunt in cœlo cum glorio & immortali corpore. Maior negari non potest. Minorem concedit Rex. Et meritò. Nam de Henoch fatetur Apostolus Hebr. 11. 5. cum ait: *H*enoch translatus est, ne videret mortem. De Helia satis constat, quia viuus à conspectu Helisæi in curru sublatus est per aërem, cum simul ambo sermocinarentur. 4. Reg. 2. 11.

5. Nec habet Rex quicquam, pro nouo suo Paradoxo, nisi fortasse illud Ecclesiastici 44. 16. *H*enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum. Et illud 4. Regum, 2. 12. *A*scendit Helias per turbinem in cœlum. Ex quibus locis videtur colligi, ambos in cœlum Empyreum translatos esse. At certè id non colligitur. Nam illud: *T*ranslatus est in paradisum; potest explicari vel de paradyso terrestri, in quo fuit Adā; vel de quo quis alio ameno loco, qui nomine Paradisi in Scriptura significari solet. Similiter illud: *A*scendit per turbinem in cœlum: rectissimè de cœlo aëreo accipitur, sicut & illud Psalm. 8. 9.

Volucres cœli, & pisces maris. Non ergo magis conuinci potest Heliam; quam volucres, esse in cœlo beatorum.

6. In quem ergo locum translati sunt, inquies, si nō in cœlum beatorum? Aliqui existimant in paradisum terrestrem, ex quo Adam expulsus est, ut D. Thomas 3.p.q.49.art.5.ad 2.vbi ait: *Henoch raptus est in paradisum terrestrem, ubi cum Helia simul creditur viuere usque ad aduentum Christi.* Alij, qui putant paradisum illum, tempore diluuij, fuisse aquis obrutum & destrunctum; dicunt eos in alio quodam amœno loco versari. Nihil certi est, nisi quod in cœlo beatorum non sint. Nec mirum est, nos hoc ignorare. Multa alia ignoramus. Neque nos soli. An non fatetur Apostolus de seipso, nescire se, an in corpore, an extra corpus, raptus fuerit in paradisum? An non testatur Scriptura, nemine vnam cognouisse, quo loco sepultus sit Moyses? An non D. Augustinus lib. 2. de peccato Originali, cap. 23. proponit varias quæstiones, quas ait à nobis certò definiri non posse? Inter quas etiam est illa, de qua nunc agimus, *Vbi locorum sint Henoch & Helias?* itemque illa, *Vbi fuerit Mathusalem tempore diluuij: cū constet non fuisse in arca Noë?* Et sane dicant, qui omnia scire se arbitrātur, si Helias raptus fuit in cœlum beatorū, ut ipsi volunt; quis fuerit baiulus litterarum, quas postquam raptus est, scripsit ad Regem Iuda? *vbi charrā & atramentum naectus sit?* an currus & equi, quibus eò vectus est, adhuc maneant in cœlo? & quo pabulo ibi vescantur?

7. An obiici potest: Si duo illi viri, Henoch & Helias, non sunt in cœlo cum corpore immortali: necesse est eos alibi viuere in corpore mortali. Si ita est, sine cibo & potu esse non possunt. Quomodo ergo sustentantur? D. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 3. insinuat tres solutiones. Prima est, si potuit Deus efficere, ut Israëlitarum vestes & calceamen-

ta per 40. annos non fuerint attrita in deserto; cur nequeat efficere, ut amici ipsius conseruentur ab interitu, sine cibo & potu? Altera, si Helias per 40. dies potuit ambulare sine nutrimento, ante raptum; cur non per totidem annos & saecula, postquam raptus est? Tertia, si Adam in paradyso fuisset conservatus ex ligno vitae, nisi peccasset; cur non, Henoch & Helias, qui pertantur esse in eodem loco, & vesci de eodem ligno?

C A P V T I V.

*An Henoch & Helias sint interficiendi
ab Antichristo.*

1. **R**ex ait se non habere pro Christianis eos, qui credunt Henoch & Heliam verè interficiendos esse ab Antichristo. *Hoc, inquit, qui credat (Deum testor) non modo pro magni nominis Theologo, sed ne pro Christiano quidem habeam.* At hoc credunt antiqui Patres. An igitur pro Christianis habendi non sunt? Nimis rigida hæc censura est. Si diceret, se non credere, Henoch & Heliam interficiendos esse ab Antichristo, esset aliquo modo tolerabile. At dicere, non habendos pro Christianis, qui id credunt; quid aliud est, quam affirmare, habendos esse pro ethnicis & infidelibus?

2. Sanè antiqui Patres, qui id credunt, meliori fundamento nixi sunt quam Rex, qui id negat. Nam hic non alio nisi potest, quam quod putet Henoch & Heliam esse in cælo beatorum cum corpore gloriose & immortali. Inde enim sequitur, non amplius mori, aut interfici posse. At hoc fundamentum apertè falsum est, ut paulò antè ex Scriptura ostēdi. Patres vero qui contrarium sentiunt, fundantur in illo Apoc. 11.3. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti fassis.* Et infra: *Et cum finierint testimonium suum, bestia que ascendit de abyso, faciet aduersus*

aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est. Et infra : Et post tres dies & dimidium, spiritus vita à Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos, &c. Ex quibus verbis tria colligi possunt. 1. Tempore Antichristi vētuos duos testes, qui amici saccis, Christi fidem & doctrinam publicè profiteantur. 2. Eos hoc nomine ab Antichristo interficiendos. 3. Post tres dies & dimidium reuocandos ad vitam, & in cælum ascensuros.

3. Quòd autem hi duo testes futuri sint Henoch & Helias, probant Patres ex antiqua traditione, & variis Scripturæ testimoniis. Et loquuntur de hac re, tanquam certa & explorata. Arethas in illum locum sic scribit : *Fertur ex traditione Praconum Christi, quod invariabiliter in Ecclesia recipitur, ipsum quoque Henoch venturum cum Helia Thesbite.* Venient enim ambo, ut protestentur iis, qui tunc erunt, ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant. Et Tertullianus in libro de anima, cap. 28. Translatus & Henoch & Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Ceterum morituri reseruantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant. Et D. Hieronymus in epist. 148. ad Marcellam : *De Henoch autem & Helia, quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros nō est istius temporis disputatio.* Et D. Ambros. in 1. Cor. 4. *Henoch & Helias ultimo tempore futuri sunt Apostoli.* Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo : quos & persecutio[n]es pati, & occidi, legio Apocalypsis testatur. D. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei, c. 29. Per hunc Heliam magnū mirabilemque Prophetam, ultimo tempore, Iudeos in Christū credituros esse, celeberrimum est in sermonibus cordibusq[ue] fidelium. Vocat fideles:

& Rex non habeat eos pro Christianis? Similia scribunt Gregorius, Prosper, Isidorus, & alij.

4. Nunc quæro, si omnes hi Patres, & quotquot eorum sententiam secuti sunt, non fuerunt Christiani, ut Rex vult: quinam ergo fuerunt Christiani eo tempore quo illi vixerunt? Vel aliqui, vel nulli, necesse est. Si nulli, nulla fuit Ecclesia Christi. Vnde ergo nos nati & educati in Christo sumus? Si aliqui, quinam illi fuerunt, si prædicti Patres non fuerunt?

5. Obiiciet Rex, non omnes antiquos Patres ita sensisse. Aliquos per duos illos testes intellexisse Heliam & Ieremiam; nonnullos Heliam & Mosen. Fatoe. Sed non iuuat hoc causam Regis. Primò, quia Patres, qui nobiscum sentiunt, multò plures sunt, & maiorem autoritatem habent. Eos autem damnare, & nolle pro Christianis agnoscere, magna temeritas est. Secundò, quia reliqui, qui paucissimi sunt, non damnant horum sententiam, ut Rex facit: sed solum putant suam esse probabiliorem. Tertiò, illi ipsi, qui aliter sentiunt, tametsi negent Henoch, aiunt tamen Heliam interficiendum esse. Ergo saltem ex parte, non minus, quam alij, damnantur à Rege, & pro Christianis haberi non possunt. An igitur omnes pro ethnicis censeri debent, & solus Rex Christianus est?

6. Sed video, quid respondeat. Nimirum se, cum dixit pro Christianis haberi non posse, qui credunt Henoch & Heliam interficiendos ab Antichristo, de iis tantum intellexisse, qui hoc tempore viuunt: non de antiquis Patribus: Eos, tametsi in eodē errore fuerint, excusari posse per ignorantiam. Sic enim habet: *Sed nimis anxiè studiosèque hanc futilem & sanè anilem fabulam (nempe de Henoch & Helia interficiendis) refutavi, cui tantum abest, ut credam: ut contra isto tam studito saeculo, hoc qui credat (Deum testor) non modo pro magni*

magno nominis Theologo, sed ne pro Christiano quidem habeam. Veteribus autem Theologis, si qui in hac parte errauerint, & equior sum, propter rationem, quam supra memorauit. Est autem hæc ratio, quam supra memorauerat: Mirum non est, si saepius Patres hic errant, & minus rectè multa Apocalypsis mysteria intelligent, propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit: & licet mysterium iniquitatis iam sum ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat reuelatus. In omnibus enim obscuris prophetiis certissima est regula, nunquam eas satis intelligi posse, usque dum compleantur.

7. Igitur Rex ita sentit. 1. Prophetias non posse intelligi, nisi quando completæ sunt. 2. Prophetiam Apocal. de Antichristo & duobus testibus, non fuisse completam eo tempore, quo vixerunt antiqui Patres: ac proinde non mirum esse, si ab eis intellecta non fuerit: Et hoc modo errorem eorum excusari posse. 3. Eandem prophetiam hoc tempore completam esse, nunc enim venisse Antichristum, & manifestum esse, quod sit Pontifex Romanus; & tamen nusquam apparere Henoch & Heliam: ideoque anilem fabulam esse, quicquid antiqui Patres de Henoch & Helia commenti sunt. 4. Qui hoc tempore in tam clara luce, adhuc credunt venturos Henoch & Heliam, non posse haberi pro Christianis: multò minus pro Theologis. Hæc summa est.

8. Sed primùm quæro, quis Regem Angliae constituerit iudicem supra antiquos & recentes Theologos in causa fidei ac religionis? Laici de eiusmodi rebus iudicare non debent, sed Episcopi, ut supra ostensum. Deinde iudicium hoc, non modo usurpatum, sed etiam temerarium est. Omnes enim Theologi, quotquot nunc sunt, & olim fuerunt, eo manifestè damnantur. Veteres quidem erroris: moderni autem im-

pietatis. Solus Rex cum suo Sacellano innocens est. Solus ipse, nec errauit cum antiquis Patribus; nec cum modernis Theologis Christiano nomine indignus est. Denique quis spiritus reuelauit Regi, prophetā Apocalypsi iam completam esse? aut vnde illi constat, venisse iampridem Antichristum, & sub nomine Romani Pontificis, orbi Christiano dominari? Hæc noua portenta sunt: sæpe quidem auditæ: sed accurate à nostris refutata.

C A P V T V.

De duobus testibus Apocalyp. II.

I. **R**ex Angliæ, vt ostensum est, damnat eos, qui per duos testes, quorum fit mentio in Apocalypsi, putant intelligendos esse Henoch & Heliam: eorum sententiam nō aliter, quam *Iudaicam & anilem fabulam, aut otiosum somnium* interpretatur. Quid ergo ipse sentit? Audite Regis sapientiam. Iam, inquit, illa anili fabula refutata de duobus illis testibus Henoch atque Helia restat, ut meam coniecturam interponam, doceámque quosnam illos testes esse arbitrer. Arrigite aures, populi. Rex Angliæ mira dicturus est. Interponet suam, non sententiam, sed coniecturam. Non enim inter Patres & Episcopos, qui in conciliis rem definire solent: sed inter Mathematicos, seu coniectores videtur censeri velle. Audite ergo, quid cōiectet. Per duos, inquit, hosce testes, intelliguntur vetus ac nouum Testamentum. Hoc sic probat: Illi duo testes interficiendi sunt ab Antichristo, & postea iterum à Deo resuscitandi: atqui sacra Scriptura veteris ac noui Testamenti à Pontifice fuit corrupta, neglecta, & quodammodo interficta; & postea à Luthero & Caluino fuit iterum in pristinum honorem restituta. Ergo coniectura Regis Angliæ

gliæ verissima est. Magnum, si dijs placet, argumentū.

2. Dicam, quod res est. Tota hæc Regis interpretatione merito suspecta esse debet. 1. quia noua & hactenus inaudita est. 2. quia nititur mera cōiectura, & quidem vnius tantum hominis. Nisi fortè Sacellanus cōiecturæ socius sit. 3. quia non potest esse à Spiritu sancto. 4. quia corruptit sacram scripturam; imò interficit. Hinc sumo quatuor argumenta. Primum est. Omnis noua doctrina, quæ nūquam antea tradita est, & communis antiquorum Patrum consensui repugnat, merito suspecta esse debet apud fideles: at qui doctrina Regis de duobus testibus est planè noua, nunquam antea tradita, & communis antiquorum Patrum consensui repugnat: Ergo merito suspecta esse debet apud fideles. Et hic habet locum illud D. Hieronymi in Epistola ad Pammachium & Oceanum; *Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæ so te, ut parcas humanis auribus; parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est.* Cur post quadragesimos annos (dicam ego, post mille sexcentos) docere nos niteris, quod ante nesciuimus? usque in hanc diem, sine uestra ista doctrina Christianus mundus fuit.

3. Alterum, Illa doctrina, quæ nititur mera cōiecturâ, & quidem vnius tantum hominis, non debet anteponi doctrinæ plurimorum Patrum, quæ iam pridem à Christianis recepta est. Atqui doctrina Regis de duobus testibus, id est, duobus Testamentis, nititur merâ cōiecturâ, & quidem solius Regis (aut fortè Sacellani) doctrina autem Patrum de Henoch & Helia, vel saltē de Mose & Helia, iam pridem recepta est à Christianis: Ergo huic altera anteponi nō debet. Porro in scripturis inuenio duplices cōiectores: quorū alij à Spiritu sancto; alij ab alio spiritu instructi, diuinare seu cōiectare solent. Prioris generis fuerunt Ioseph, & Daniel, Genes. 40. 22. & Daniel 2. 24. Posterioris harioli

harioli, magi, & malefici apud Chaldæos, Dan. 2.2. Si constaret Regem Angliæ coniectorem esse prioris generis, pat̄ illi fides haberetur, quę olim Iosepho & Danieli. At nondum hoc constat.

4. Tertium. Illa doctrina non potest esse à Spiritu sancto, quæ ex mera vnius hominis pendet coniecturā. Atqui doctrina Regis pendet ex mera vnius hominis coniecturā, ut ipse fatetur: Non ergo potest esse à Spiritu sancto. Maiorem sic explicō. Duplex potest esse coniectura, seu inspiratio, ut dictum est: Vna à Spiritu sancto; altera aliunde. Prior semper est vera, certa, indubitate; posterior sepe falsa, incerta, lubrica. Prior tribuitur soli Deo, aut Spiritui sancto, non autem homini; posterior contra, homini, non Deo tribuitur. Hoc patet ex Scriptura. Nam Ioseph, Daniel, & alij Prophetæ diuini, quotiescumque ex Dei inspiratione aliquid locuti sunt, aut reuelarunt: à Deo se habere professi sunt. Genes. 40. *Qui dixerunt, Somnium vidimus, & non est, qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Ioseph; Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis.* Et Genes. 41.15. *Cui ille ait, Vidi somnia, nec est, qui edisserat: qua audiui te sapientissimè coniucere. Respondit Ioseph: Absque me, Deus respondebit prospera Pharaoni.* Et Dan. 2.27. *Respondens Daniel coram Rege ait: Mysterium quod Rex interrogat, sapientes, magi, harioli, & aruspices nequeūt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo reuelas mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Et generatim loquédo, omnes Prophetæ soliti sunt dicere: *Verbum Domini quod locutus est per os meum.* Longè aliter Rex Angliæ. Non ait se loqui verbum Dei, nec coniecturam suam à Spiritu sancto esse contendit, sed ingenuè fatetur, quod res est, sui capitis coniecturam esse, ideoque non certam, sed tantum probabilem haberi vult. Sic enim loquitur: *Restat*

ut meam coniecturam interponam. Et paulo post: *Proponam probabiles coniecturas.* Concludo igitur coniecturam Regis non esse à Spiritu sancto, sed aliunde.

5. *Quartum.* Is censetur corrumpere & occidere sacram scripturam, qui eam alio spiritu interpretatur, quam quo inspirata est: At Rex Angliae interpretatur scripturam Apocalypsis ex mera sua coniectura: Ergo interpretatur alio spiritu, quām quo inspirata est. Minor patet ex dictis. Maior nititur tribus principijs. *Primum* est, quod sacra scriptura à Spiritu sancto dictata & inspirata sit. 1. Timoth. 3. 16. *Alterum*, quod eodem spiritu, quo dictata & inspirata est, debeat intelligi seu explicari, & non alio. *Tertium*, quod vita scripturæ cōsistat, non in cortice verborum, sed in vero & germano ipsius sensu. Igitur, qui vero sensu neglecto, aliū quærat; censetur vitam auferre, quod est Scripturam interficere. At qui illam interpretatur ex mera hominis cōiectura, & non ex Spiritu sancto, is neglecto vero sensu, illum quærat. Ergo censetur vitam auferre, seu interficere. Hoc autem facere Regem Angliae, satis iam ostensum est.

6. Præter hæc 4. argumenta, adhuc vnum addo ex concessione Regis in hunc modum; Concedit Rex ut supra visum est, hanc propositionem; *Quamdiu prophetiae Apocalypsis de Antichristo & duobus testibus ab eo interficiendis, fuit obsignata, & nondum opere completa: nō est mirum, si Patres errarint in eius intelligentia & explanatione.* At nunc postquam completa est, adeò planam, facilem & certam habet intelligentiam, ut qui adhuc dubitet pro Christiano haberri non possit. Iam subsumo. Atqui ipse met Rex, post completam prophetiam (ut ipse quidē vult) adhuc dubitat de tota re: Ergo Rex suo iudicio pro Christiano haberri non potest. Minorem probbo, quia per solam coniecturam probabilem colligit, nomine

mine duorum testium intelligi oportere vetus & nouum Testamētū. Hæc autem cōiectura non facit rem certam & exploratām. De Antichristo verò sic loquitur; Sanè quod ad definitionem Antichristi, nolo rem tam obscuram & inuolutam, tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam urgere. Hic disertè fatetur, esse rem adhuc obscuram & inuolutam. Quomodo ergo paulo ante dixit, prophetiam de Antichristo completam esse, & adeò certam, ut hoc eruditō sēculo dubitare nemo possit? Hæc non cohærent. Mitto alia absurdā, quæ in Regis interpretatione passim occurunt.

C A P. V I.

De Beata Maria Virgine.

1. **R**Ex in præfatione monito ia, partim benè, partim malè sentit de B. Virgine Maria. Benè quidem, cum fatetur veram esse Dei matrem, & supra omnes beatorum hominum ac spirituum ordines ad cœlestem gloriam elatam, excepto Christo. Malè verò, cum addit, eam se nostris rebus ac negotijs nō immiscere, neque ad nostras preces attendere, eo quod tota gaudio cœlesti perfusa sit. *In cœlis, inquit, in æterno sanctarum animarum receptaculo, in æternam est fælicitatem collocata, nunquam à tantis gaudijs illa terrenarum rerum cura aut solicitudine auocanda.* Vis argumenti videtur esse huiusmodi; Qui in æterna felicitate ac gaudio collocati sunt, non possunt inde auocari, & nostris orationibus attendere: At B. Virgo in æterna felicitate & gaudio collocata est: Ergo non potest inde auocari, & nostris orationibus attendere.

2. Ut verum fatear, nouus hic error est. Lutherani & Caluinistæ, qui hactenus negarunt Sanctorum in-

uoca

uocationem, eo fundamento nixi potissimum sunt, quod putarent, Sanctos ignorare, quæ apud nos fiunt. Rex alio nititur. Ait, propter nimium gaudium, quo repleti sunt, non posse attendere ad ea, quæ perimus. Qui error, multò, quam Lutheranorum & Calvinistarum, grauior est. Nam inde sequitur, nec Christū mediatorem Dei & hominum, nec Angelos custodes posse attendere ad ea, quæ circa nos sunt: imo Christū minus, quam Angelos posse id præstare, quæ ingens blasphemia est. Hoc autem sequi, sic ostendo; Qui in æterna felicitate & gaudio collocati sunt, non possunt nostris rebus ac negocijs attendere, ut vult Rex: Atqui Christus secundum humanitatem, & Angeli custodes, sunt in æterna felicitate & gaudio collocati, quod nemo negauerit. Ergo Christus & Angeli non possunt nostris rebus & negocijs attendere. Rursum; si gaudiū cœleste obstat, quo minus beati possint ad res nostras attendere, sanè, quò quis maiori gaudio perfusus est, eo minus poterit attendere. At Christus secundum humanitatem maiori gaudio perfusus est, quam Angeli. Ergo minus potest ad res nostras attendere, quam Angeli. Quæ hæc portenta sunt?

3. Hinc satis, opinor, patet, quam vim habeat argumentum Regis. Quasi verò Christus, B. Virgo & Angeli custodes, alijque Sancti in cœlo, non possint attendere nostris rebus, nisi à cœlesti gaudio auocentur. Vtrumque præstare possunt, & frui cœlesti gloria, & simul res nostras procurare. Nec repugnant inter se, beatum esse, & aliorum curam suscipere. Alioqui; quomodo Deus ipse, qui omnium rerum etiam minimorum, diligentissimam curam habet, beatus esse possit? Quomodo Christus, qui teste Apostolo, quotidie interpellat pro nobis, pleno gaudio perfueretur?

4. Addit Rex, Inuocationem Sanctorum, internotios

uitios, & ante quingentesimum Christi annum inauditos articulos, referendam esse. Itane verò? Quid si ego ostendam Sanctorum inuocationem maximè floruisse primis quingentis annis? Nec hoc difficile est. Patres, qui illis annis vixerunt, prolixè id testantur. E multis paucos accipe. Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum sic ait; *Tu ab alto nos respice, nostrumque sermonē ac vitam dirige.* August.lib. 7. de baptismo contra Donatistas.c.1. *Adiuuet nos Cyprianus orationib. suis.* Athanasius in sermone de Deipara; *Inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui.* Et infra; *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo.* Et iterum; *Intercede hera & domina, & regina & Mater Dei pro nobis.* Basilius orat.in quadraginta martyres: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus latatur hos oret: ille, ut a malis liberetur; hic, ut duret in rebus latis.* Greg. Nyssenus orat.in S.Theodorum: *Intercede ac depicare pro patria apud communem Regem & Dominum.* Timemus afflictiones, expectamus pericula, non longè absunt scelesti Scythæ, bellum aduersum nos parturientes: *ut miles, pugna pro nobis: ut martyr, pro conseruis utere libertate loquendi.*

5. Hi Patres (& multi alij, quos recensere promptum est) vixerunt primis quingentis annis in Ecclesia, & titulo sanctitatis ac doctrinæ perspicui sunt. Hi ipsi Sanctos in cœlo existentes inuocarunt. Quomodo ergo audet dicere Rex, Inuocationem Sanctorum primis quingentis annis in Ecclesia inauditam esse? Nimium credit suo Sacellano, qui contra conscientiam persuadet illi, quod vult. Optandum esset, ut Rex ipse legeret antiquos Patres, & non pateretur se amplius illudi.

C A P . V I I .

De fundamento fidei.

1. **R**ex in monitoria præfatione dicit, debere vnu-
quęq; scrutari scripturas, & super suā certā sci-
tia fundamentum fidei collocare. Sic enim loquitur:
*Cum Paulo opto, vos omnes fieri tales, hac una in re qualis
ego sum: in primis, ut velitis scripturas peruvolutare, ex his
credendi normam petere, neq; super aliorum incertis opinio-
nibus, sed vestra ipsorum certa scientia, fidei fundamēta col-
locare. Quid hoc aliud est, quām dicere debere vnum-
quemque facere se iudicem dogmatum fidei: non cre-
dere Ecclesiæ, vel cuicunque alteri, sed suo proprio iu-
dicio acquiescere?*

2. Hæc doctrina omnium perniciōsissima est, &
non solum repugnat scripturis, Patribus, & communi
Christianorum consensi, sed etiam ipsum Regem &
antecessores eius sine dubio condemnat. Hanc poste-
riorem partem sic ostendo. Rex Angliae & alij Princi-
pes protestantes, vel habent potestatem cogendi suos
subditos ad fidem, quam ipsi putant esse veram, vel nō
habent. Si habent, ergo subditi tenentur illos sequi &
obedire. Ergo falsum est, vnumquemq; debere super
sua certa scientia, fundamentum fidei collocare. Non
enim subditi super sua scientia sed super scientia Re-
gum & Principum collocare debent fundamentum fi-
dei, si verum est, Reges & Principes habere potesta-
tem, suos subditos ad fidem compellendi. Si autem
non habent hanc potestatem, cur eam passim usurpāt?
Cur Elisabetha coegerit subditos ad Calvinismum? Cur
Iacobus, interposito iuramento, idem facit? Cur Prin-
cipes protestantes in Germania eos imitantur? Non

enim quærunt ex subditis, quid quisq; ex sua certa sciētia statuat de rebus fidei & religionis; sed ipsi pro suo arbitrio & autoritate, etiā inuitis subditis, & sēpē reclamantibus, sua dogmata, coniecturas, & ceremonias proponunt, imagines confringunt, crucē Christi eliminant: omnia sacra, astate & dolēte populo execrantur.

3. Hinc concludo, Regem Angliæ, vel in doctrina, vel in facto errare. Docet vnumquemque debere collocare fundamentum fidei super sua certas scientias. At hoc non permittit suis subditis, ut faciant. Vel ergo hic, vel ibi errat. Ego in vitroque illum errare sentio. Nam neque Rex ipse, neque subditi debent esse iudices controversiarū. **Quis** ergo? Non aliis, quam Prælatus Ecclesiæ. Hoc etiā probatum sēpe sit, conabō etiam hic probare. Nec opus est alio, quam hoc vulgari argumēto: Omnes Catholici consentiunt, solum Prælatū Ecclesiasticum esse legitimū Iudicem contoversiarum fidei ac religionis. Aduersarij autem non possunt inter se conuenire de iudice, quia alij volunt esse Spiritū sanctū, alij scripturam, alij internū critirium, alij principem vel magistratum sacerdotalem, alij vnumquemque priuatum. Ergo potius Catholicis, quam aduersariis credendum est.

4. Hoc, inquam, argumento sat is conuincuntur Aduersarij, nisi valde impudentes sint. Cum enim videant omnes controversias, quæ inter nos Catholicos oriuntur, statim soperi per magistratum Ecclesiasticū, quem omnes, tanquam legitimū Iudicem agnoscimus: Et è contrario experientia doceat, nullam controversiam, quæ inter ipsos oritur, finiri posse, quia non possunt conuenire de communi iudice; quid aliud statuere ac cogitare debent, quam nos Catholicos meliori conditione esse, qui lites nostras finire possumus; quam ipsos, qui finire non possunt?

C A P. V I I I.

De Concilio generali conuocando.

1. **R**ex in monitoria præfatione dicit, si Conciliū generale indicendum esset, in quo omnes Christiani ad aliquem in religione consensum adduci posseant, oportere conuocari omnes Christianos Principes & Eccles. exclusis Jesuitis & Puritanis. Hos enim fatetur se odisse; magis tamē Puritanos, quam Jesuitas. Quamuis enim isto loco utrosque coniungat, & communis titulo appellat nouitios & furiosos incendiarios; alibi tamen satis ostendit, se Puritanis infestiorē esse quam Jesuitis. Sic enim loquitur: *Ego Puritanus, qui à Puritanis non solum à nativitate continuò vexatus fui: verum etiam in ipso matris utero propemodum extinctus, antequam intulcem editus essem? Ego, qui in meo ad filium libro, multo acrius ac vehementius in Puritanos quam Pontificios inuenitus sum: qui etiam cum secundo ederetur, prolixam in odium Puritanorum Prefationem Apologeticam præposui?*

2. Igitur ex mente Regis, haec tria seruari oportet. Primo, ut indicatur Concilium generale. Secundo, ut tractetur de consensu fidei ac religionis. Tertio, ut excludantur Jesuitæ & Puritani. Hinc oritur mihi triplex quæstio. Prima, quinam Christiani ad futuri sint in illo generali Concilio, si Jesuitæ & Puritani excludi debeantur. Altera, quis futurus Concilij Praeses seu Iudex? Tertia, quis consensus in fide & religione sperari possit? De singulis obiter dicam.

3. Primùm ergo quæro, quinam ad futuri sint exclusis Jesuitis & Puritanis? Ratio dubitandi est, quia si de fide & religione agitur (sicut reuera agitur) omnes Catholici, quotquot per orbem Christianum dispersi

sunt, cum Iesuitis in fide & religione consentiunt. Et similiter omnes vbique puri Caluinistæ, cum Puritanis. Si ergo Iesuitæ & Puritani, titulo fidei ac religionis excludendi essent; omnes Catholicos & puros Caluinistas eodem titulo excludi oporteret. Faciamus ergo sic esse. Excludantur Pontifex, Imperator, Reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Hungariæ, Archiduces Austriæ, Principes Electores, Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis, Palatinus, Duces Bauariæ, Lotaringiæ, Brabantia, Franconiæ, Italiae: Et omnes eorum subditi. His omnibus exclusis, qui tandem sunt, qui Concilio generali interesse possint? Nimirum soli Anabaptistæ Lutherani, & non puri, seu Anglicani Caluinistæ. At hi omnes, respectu aliorum, quos exclusos vult Rex, pauculi omnino sunt. Quomodo ergo generale Conciliū dici poterit, vbi tam paucis præsentibus, maior pars Christiani orbis abfutura est?

4. Et quis huic generali (si diis placet) Concilio præfidebit? quis omnium controversiarum, quæ in disceptationem veniunt, supremus Iudex constituetur? Sine dubio Rex Angliæ, vel Daniæ, vel Princeps aliquis Lutheranus. At non ferent hoc Anabaptistæ, qui omnem magistratum execrantur. Sed nec fieri poterit, ut unus quis sit Iudex omnium. Nam ut supra dictum est, Rex Angliæ vult vnumquemque debere super certa sua scientia fundamentum fidei suæ collocare. Singulos ergo, qui in Concilio adfuturi sunt, Iudices esse, necesse est. Singuli super certa sua Scientia, non super alterius iudicio vel arbitrio, fidei ac religionis fundamentum collocabunt. Et quis tunc consensus sperari poterit?

5. Rem exemplo declarabo. Conuocetur Concilium, quale vult Rex. Ad sint Anabaptistæ, Lutherani, & qui in Anglia cum Rege sentiunt. Moueatur con-

trouersia, *An infantes, cùm adoleuerint: iterum baptizādū sint;* Affirment Anabaptistæ: negent cæteri. Præses, quisquis futurus est, litem dirimat. Quid factō opus? Audiantur primum Anabaptistæ. Eoruīn, sine dubio, vox hæc erit; *Domine Rex fundamentum fidei de baptismō infantium, super certa nostra scientia collocandum est, ut tu ipse sis.* At certò nobis constat, *infantes cùm adoleuerint, iterum baptizandos esse.* In hac scientia fundamentum fidei nostræ immotum stat. *Vos si vultis, aliter sentite & facite, per nos licet.* Quidam Lutherani cum sociis; Sic illi, *Domine Rex, nostra certa scientia plane contraria est.* Scimus infantes, si semel baptismō lustrati sunt, non iterum lustrandos esse. In hoc pedem figimus. His vtrimeque auditis concludet Rex: *Vnusquisque abundet in suo sensu. Itē domum saturā, venit Hesperus, itē capellæ.*

E P I L O G V S.

QUæ hactenus contra Serenissimum Anglicum Regem (quem semper & vbiique honoris causa nominatum volui) à me disputata sunt: ad duo capita reuocari possunt. Priori ostensum est, Regem in suo regno, nullo penitus iure Primatum Ecclesiæ usurpare posse. Posteriori, noua quædam paradoxa & falsa dogmata, quæ in illius libro reperta sunt, succincta veritate refutaui. In vtroque ea, qua potui & debui, modestiâ, perpetuò usus. Itaque spero, non modo quemcunque Lectorem, sed ipsum quoque Serenissimum Regem, æquo lubentique animo, quidquid à me veritatis studio conscriptum est, accepturum esse.



OPVSCVLVM IX.

REFUTATIO

TORTVRÆ TORTI,

S E V

Contra Sacellatum Regis Angliæ, quòd
causam sui Regis negligenter egerit.

R^{mo} AC ILLVSTR IS SIMO
PRINCIP^I, AC DOMINO D.
IOANNI SVICARDO S. SEDIS MO-
guntinæ Archiepiscopo, S. Romani Imperij per
Germaniam Archicancellario, & Principi Electori,
Principi ac Domino suo clementissimo,

Martinus Becanus.

DRodierunt nuper, R^{me} & Illustr^{me} Prin-
ceps, duo libri ex Anglia: quorum alter Se-
reniss. Regis Iacobi; alter Sacellani ipsius ti-
tulum præse ferebat. Vtrumque, qua potui
breuitate ac modestia, utpote Romana Eccle-
siæ palam repugnantem, Veritatis studio refutavi. Et quidem
prioris refutationem, Inuictissimo Imperatori Rodolpho, Se-
renissimis Regibus & Illustrissimis Christiani orbis Princi-
pibus (inter quos tu emines) inscripsi ac dedieani: posterioris
vero, Amplissimo tuo nomini, speciatim nuncupandam cen-
sui. Causa duplex est. Una, quod cum Catholicæ fidei ac reli-
gionis propugnanda gratia, hic labor à me suscepitus sit mul-
lius patrocinio potius, quam tuo, qui eiusdem fidei in Ger-
mania

mania magnus propagator ac protector es, in lucem exire
debeat. Altera, quod tua in nostrum Archiepiscopale colle-
gium Moguntinum merita & beneficia iure id exigant.
Accipies, opinor, in bonam partem; & quod obsequij ac ob-
seruantia testificandæ causa sincerè à me factum est, serena-
mente interpretaberis. Deus Opt. Max. Celsitudinē vestrā
in commodum patriæ & Ecclesiæ diu seruet incolumem.

REFUTATIO

TORTVRÆ TORTI.

Seu

In Sacellanum Regis Angliae

V P E R scripsisti librum pro tuo Rege,
contra Matthæum Tortum, cum hoc ti-
tulo; *Tortura Torti*. Nomen tuum non
prodis; sed insinuas te esse Sacellatum;
Eleemosynarium, Tortorem, Ego quod
honorificentius est, Sacellatum te appellabo. Dispu-
tas autem in eo libro de his tribus potissimum capiti-
bus. Primo, de iuramento fidelitatis, quod Rex tuus
exigit à suis subditis. Secundo, de Primatu Regis in
rebus Ecclesiasticis. Tertio, de potestate Papæ. Si ver-
ba spectem, satis cultus ac elegans es. Si laborem ac
diligentiam, non culpo otium. At multa alia sunt,
quæ non æquè probem. Hæc maximè. Primum, quod
ad conuiciandum sis projectissimus, Secundum, quod
multa falsa & absurdâ passim inspergas. Tertiū, quod
Primatum Regis tui, quem astriuere volebas, cverias
potius, quam stabilias. Quo nihil turpius. De his tri-
bus hoc ordine dicturus sum.

1. *De conuiciis Sacellani.*2. *De Paradoxis illius.*

3. *De Primitu Regis per eum cuerso.*

I Gnosces, spero, si hæc tria modestè ob oculos tibi propoham ; tum tui, tum aliorum gratia. Tui, vt te ipsum agnoscas, & si fieri potest, ad saniorem mentem redeas. Aliorum, vt intelligent, non temerè tibi fidendum esse, qui toties & tam enormiter, in rebus magni momenti lapsus sis. Audi patienter.

C A P V T I.

De conuitiis Sacellani.

1. **S**TATIM in ingressu Torturæ reprehendis Matthæum Tortum; quod totus in conuitiis sit. Sic enim de eo scribis ; *Per librum totum ita petulans, ita immodestè immodestus, ita totus in conuitiis, facile ut quiuis, Matthæum Tortum esse, possit intelligere.* At tu, mi homo, longè superas Matthæum Tortum in hoc genere. Ne mini parcis. Omnes, ubi minima occasio est, conuitio aliquo lacestis. Clementem VIII. vocas perfidum ; Cardinalem Bellarminū, votifragum ; Nicolaum Sanderum, mortalium mendacissimum ; Edmundum Campianum, & alios; qui pro Catholica fide martyriū passi sunt, proditores; Iesuitas, atrocissimarum facinorum authores; Catholicos de Malchi prosapia, qui præcisa aure dextra, omnia sinistra audiant, & interpretentur. Omitto, quæ in Matthæum Tortum petulanter despumasti.

2. Hæc & similia cōvitia, quæ tibi domestica sunt, vt video, non decent bonum virum. Multo minus Sacellanum aut eleemosynarium Regis, qualem te esse vis. Tortorem fortè non admodum dedeceant. Nec est, quod te excuses exemplo Matthæi Torti, quasi is prior lacessierit te conuitio. Primum, non ita est. Deinde, fecisset sanè ; An tu Christiani hominis esse putas,

tas, in malo talionem reddere? Aliter Apostolus nos docuit, Rom.12.17. *Nulli malum pro malo reddamus.* Et denique, si reddere volebas, cur aliis non pepercisti? Non satis tibi erat unus Tortus, quem torqueres, nisi etiam in alios eadem libidine desæuires? Posthac talibus abstine. Et audi illud Prover.21.23. *Qui custodit os suum & linguam suam.* Et Matth.12.35. *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.* Vide quis tuus thesaurus sit, unde proferuntur tot cōuitia. Et caue, quia maledici regnum Dei nō possidebunt. 1. Cor.6.

C A P V T . I I .

De Paradoxis Sacellani.

AD cōuitia accedunt Paradoxa, quæ multa sunt in tuo libro. Ex iis hæc potissimum.

1. Puritanos in Anglia sincèrè iurare in Primum Regis.
2. Primum, omni iure, deberi Regi.
3. Neminem adhuc negasse, Reges veteris Testamenti, habuisse Primum in Ecclesia.
4. Reges noui Testamenti, esse Pastores ouium Christi.
5. Reges sæpe in Scriptura vocari Christos, seu *Vnctos Domini*; at Sacerdotes aut Pontifices, nunquam sic vocari.
6. Si Pontifex præter Christum, esset caput Ecclesiæ; monstrorum ac bicipitem fore Ecclesiam.
7. Si Pontifex haberet potestatem deponendi Reges, meliori conditione fore ethnicos, quam Christianos Reges.
8. Si Pontifex velit habere regnum temporale, suadendum esse, ut diabolum adeat, & ab eo petat.

9. Excommunicandi potestatem , non esse Petro Apostolo, sed Ecclesiæ datam.
10. Prophetiam Apocalypsis de Antichristo , iam impletā esse, ac proinde claram & minimè intricatam.
11. Reges Daniæ & Sueciæ, necnon Principes Germaniæ, consentire Regi Angliæ in rebus fidei.
12. Regi Angliæ non esse iam liberum mutare religionem, aut Catholicam in regno suo permettere, eo quod bis iurauerit, se id non facturum.
13. Bellarminum esse votifragum, eo quod ex Iesuita factus sit Cardinalis.
14. Catholicos docere, fidem non esse seuandam, & perfidiam esse licitam.
15. Catholicos esse de prosapia Malchi , eo quod nihil dextrè , sed omnia sinistrè interpretentur. Hæc pauca ex multis breuiter examinanda sunt.

Paradoxum I.

1. **P**rimùm ergo ais , Puritanos in Anglia sincerè iurare in Primum Regis. Verba tua sunt hæc, pag.379.in fine; *Quos verò Puritanos appellat, si Regium Primum detestentur , detestandi ipsi. Profitentur enim, subscribunt,iurant indies. Sed & illi quod faciunt,ingenuè faciunt, id est, ingenuè profitentur Primum Regis, ingenuè subscribunt, ingenuè iurant.*

3. At Rex tuus multo aliter de illis sentit,in monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges & Principes. Sic enim de illis loquitur; *Praetara sanè laus,præclarum encomium,quo Puritanos ornauit,cum me plus fidei vel in illis efferis,cum montanis,tum limitaneis latrocinibus, quam in hoc genere hominum inuenisse professus sim. Vide nunc,quam longè abeas à tuo Rege, à tuo capite,& Primate Ecclesiastico. Rex proficeretur,se plus fidelitatis inuenisse*

inuenisse in efferis latronibus, quā in Puritanis. Tu contra afferis, Puritanos ingenuè facere, quod faciunt. Igitur, ingenui tibi sunt, qui Regi plusquam efferi latrones,

4. Addit Rex; *Ego à Puritanis, non solum à nativitate continuò vexatus fui; verum etiam in ipso matris utero propemodum extictus, antequam in lucem editus essem. Quid tu ad hoc? An repetes illud tuum solenne; Puritani quod faciunt, ingenuè faciunt?* Nimirum ergo, ut tu quidem interpretaris, ingenuè voluerunt Regem in utero materno extinguere, antequam in lucem editus esset. Et hoc, in tuo Sacello est, ingenuos esse?

5. Pergit Rex; *Ego in meo ad filium libro multo acerius ac vehementius in Puritanos, quam Pontificios inuenitus sum. Igitur ex sententia Regis, Puritani detiores sunt, quam Pontificij. At tu Pontificios vocas proditores. Puritani ergo proditoribus detiores sunt. Et tu tamen scribis, ingenuè eos facere, quod faciunt?*

6. Iterum Rex; *Mibi præcipuus labor fuit, deiectos Episcopos restituere, & Puritanorum Anarchiam expugnare. Nimirum, Puritani Anarchiam amant; Monarchiam seu Primum detestantur. Rex contra Anarchiam expugnat, Primum statuit. Nunc quero, si Primum detestantur Puritani, quomodo possunt ingenuè iurare in Primum? Vel ergo Puritani, non amplius Puritani sunt: vel si sunt, qui fuerunt; Anarchiam amant & Primum detestantur. Non ergo ingenuè, sed subdole faciunt, quod faciunt.*

7. Vide, quā in omnibus Regi tuo contrarius sis. Quos accusat ille, tu purgas. Sed tamen ab impudentia purgare non poteris. An non grandis impudentia est, & (si vis) imprudentia, quod Calvinus in Germania & Hollandia, qui nihil aliud, quam Puritani sunt, toties ausi fuerūt recudere Monitoriam Regis cui Preparationem, in qua tam aperte perstringuntur. Quid enim magis

magis spectare potest ad illorum ignominiam, quam quod publico Regis testimonio habeantur deteriores latronibus, quippe qui in mortem Regis, adhuc in utero materno existentis, crudelissime conspirarint? Et hanc tantam ignominiam, typis identidem diuulgare, nec infamiam publicam extimescere, nonne impudentia est? Et tibi nihilominus *ingenuè* faciunt, quod faciunt.

Paradoxum. I.I.

A Is Primum Ecclesiasticum, omni iure, deberi Regibus. Hæc enim sunt verba tua, pag. 90. *Primatus spiritualis debetur Regibus omni iure.* Videamus, an ita sit. Ius, ut nosti, aliud naturale, aliud positum est. Hoc iterum, aut diuinum, aut humanum. Diuinum aliud veteris, aliud noui Testamenti. Similiter, Humanum aliud canonici, aliud ciuale. Vis ergo, omni hoc iure Primum Ecclesiæ deberi Regibus? Ita apparet. At alibi fateris, solo iure veteris Testamenti deberi. Non igitur omni iure. Sic enim scribis, pag. 363. *A more institutoque Israëlis orditur Apologia; inde enim vim habet, atque nervos suos quæstio hæc omnis (de Primatu.) In Israële enim populo suo regnum instituit Deus, & Ecclesiam in regno, ex mente sua. Exemplum inde nobis sumendum est, cum in Testamento novo nullum habeamus. Nusquam ibi in unum coaluerunt Ecclesia & Imperium; procul se habuit Imperium ab Ecclesia.*

9. Agnoscis, opinor, hæc tua verba, quæ te condemnant. Nam si quæstio de Primatu, ut hic affirmas, non aliunde, quam ex more & instituto populi Israëlis vim suam habet; non ergo ex iure naturali, non ex diuino noui Testamenti, non ex canonico aut ciuili. Quomodo ergo ex omni iure? Rursum, si in novo Testamento *nusquam in unum coaluerunt Ecclesia & Imperium:*

perium: Ergo iure noui Testamenti non necesse est, in vnum coalescere. Ergo non *omni iure*. Et sanè, si nusquam antea in nouo Testamento; quomodo nunc in Anglia, tam serò in vnum coalescunt? Hic tē ipsum planè constringis.

Paradoxum III.

10. **A** Is, neminem adhuc negasse, Reges Veteris Testamenti habuisse Primum Ecclesiæ. Sic enim habes pag. 364. *In Israële autem nondum os reperi tam durum, quod negare etiam auderet, præcipuas in re religionis partes penes Regem extitisse.* At ego, non vnum, sed multos reperi, quid id ansi sunt negare. Ausi sunt ex vestra Anglia, Nicolaus Sanderus, lib. 2. de visibili monarchia Ecclesiæ, c. 3. in solutione quintæ Obiectio-
nis Protestatiū, & Thom. Stapletonus lib. 5. principiorū fidei doctrinaliū, c. 23. Ausi ex nostris Bellarm. lib. 1. de Concilijs, c. 20. Iacob. Gretserus lib. 2. cōsiderationū ad Theologos Venetos. cōsid. 1. 2. & 3. Adamus Tan-
nerus lib. 1. defensionis Ecclesiasticæ libertatis, cap. 15.
& alij.

II. Hi omnes, locis citatis, proponunt argumen-
tum: quo vos vti soletis ad probandum Regis Prima-
tum in rebus Ecclesiasticis. Est autem hoc. *Moses, Iosue, David, Salomon, Iosias & alij Reges veteris Testamenti habuerunt Primum Ecclesiæ.* Ergo etiam Reges noui Te-
stamenti habent. In solutione huius argumenti, omnes
negant antecedens. Negant, inquam, Reges veteris Testamenti, si præcisè spectemus potestatem Regiam,
habuisse primatum Ecclesiæ: rametsi concedant, ali-
quos ex ijs habuisse, non ordinario iure, tanquam Re-
ges; sed quatenus erant simul prophetæ aut Pontifi-
ces, per extraordinariam concessionem. Verba Bellar-
mini

mini sunt hæc; Respondeo primo, Mosen non solum Principem, sed etiam summum sacerdotem fuisse, ut patet ex Ps. 98. Moses & Aaron in sacerdotibus eius. Iosue autem, Davidem, Salomonem, & aliquos alios, non solum Reges, sed etiam Prophetas fuisse, quibus Deus quedam extraordinariè committebat, quæ ad Sacerdotes alioquin ex officio spectabant. Hoc modo Salomon Rex amouit Abiathar à sacerdotio, & constituit Sadoc pro eo. Id enim fecit non ut Rex, sed ut Propheta ex diuina inspiratione. Dico secundo, alios Reges synagoga, qui boni fuerunt, nunquam se miscuerint negotijs sacerdotalibus; & si quando se miscuerint, punitos fuisse. Similia habent alij.

12. Hoc tamen addo (in quo tu fallis, aut falleris) nonnullos ex prædictis authoribus, non solum negare antecedens, sed etiam consequentiam argumenti. Itaque duas adhibent solutiones. Prior est hæc; Negamus Reges veteris Testamenti habuisse primatum Ecclesiæ. Posterior hæc; Etiam si daremus Reges veteris Testimenti habuisse Primatum Ecclesiæ; non tamen sequeretur, etiam noui Testimenti Reges eum habere. Cuius rei varias assignant causas. Vide, quæ in eiusdem argumenti solutione à me dicta sunt in Refutatione Apologiæ Regis Angliæ, c. 2.

Paradoxum IV.

13. **A** Is Reges noui Testamenti, esse Pastores ouium Christi: & quamuis illa verba, *Pasce oves meas,* Petro dicta sint; tamen & iam ad Reges Christianos pertinete. Ideò autem illis dicta non esse, quia tempore Christi nulli erant Reges Christiani, quibus cura ouium cōmitti posset. Sic enim habes pag. 53; *Rex noster (Angliæ) est Dux regis sub Christo Pastorum Principe.* Sunt & alij. Reges Christiani ad unum omnes suasi iurā noscent

sent, & vel vires illis, vel animus nō deesset. Et clarius pag.
 91. Neque quicquā ad rem, quod de Christo addis, non Regē
 aliquem, sed Apostolum gregis sui Pastorem designāte. Cer-
 te, ut nec Regem sub lege, quia nondum ibi Rex ullus, at ubi
 iam Rex, tunc nec ei Pastoris nomen negatum; ita sub Euā-
 gelio, cum non essent Reges adhuc, qui tum nulli erant, Pa-
 stores esse nō poterāt. At ubi Reges Christo nomē dederāt, tū
 demum, non minus pastores hi, quam olim Reges Israēlis.
Quod si autē ab initio statim nomē Christo dedissent, nulla
ratio, quo minus gregis Christiani Pastores designari po-
tuerentur.

14. Non vnum, sed multa hic Paradoxa. Ac pri-
 mū quæro ex te, si Christi tempore fuisset aliquis Rex
 Christianus, an Christus dixisset illi, *Pasce oves meas?* Si
 affirmas, vnde constat? aut quis ante te affirmauit? An
 tu primus es, qui orbi Christiano mysterium hoc pa-
 tefacis? Si negas, rectè quidem. Sed si Christus non di-
 xisset Regi Christiano, *Pasce oves meas;* qua tu authori-
 tate dicis Iacobō Regi, *Pasce oves Christi?* An tu Petrum
 ab officio Pastorali repellis, qui à Christo Pastor con-
 stitutus est; & sibornas Regē, qui à Christo cōstitutus
 non est? Audax facinus; & Sacellano dignum scilicet.

15. Iterum quæro, quid hoc sit, *Pasce oves meas?* Tu
 quidem (pag. 52.) interpretaris de passione verbi &
 doctrinæ. Et sit sane ita. At tu idem (pagina 380.) fa-
 teris, Regem non pascere oves Christi, verbo & do-
 ctrina. Ergo Rex, ex tua concessione, non est Pastor
 ovium Christi; nec illa verba, *Pasce oves meas,* eo sensu,
 quo à Christo prolatæ sunt, possunt ad Regem pertine-
 re. Hic non expediens te, sat scio. Aut enim fateri neces-
 se est, verba illa non intelligi de passione verbi & do-
 ctrinæ; aut Regem conuenire, ut pascat verbo & do-
 ctrina: aut certe Regem non esse Pastorem ovium
 Christi. At hæc omnia contraria sunt. Vis verba Christi
 intel

intelligi de pastione verbi & doctrinæ. Vis Regem non pascere oues Christi verbo & doctrina. Vis Regem esse Pastorēm ouium Christi. Quo tandem euades?

16. Tertio quæro, quare alij Reges Christiani non usurpent sibi officiū pastorale, si verè pastores ouium Christi sunt? Facerent, inquis, sua si iura nossent, & vel vires illis, vel animus non deesset. At quid hoc aliud est, quam dicere, Regem Angliae scientem esse, reliquos ignorantes? illum vires habere, reliquos impotentes esse? illum animosum, reliquos timidos & ignauos esse? Ita sit, ut dum Regi tuo assentiri vis, in alios contumeliosus existas.

Paradoxum V.

A Is. Reges saepe in scriptura vocari Christos, seu Vnctos Domini: at Pontifices aut Sacerdotes, nūquam sic vocari: ideoque male fecisse Matthæū Tortum, quod Pontificem Romanum eo nomine appellauerit. Verba tua sunt hæc pag. 114. *Mihi vero multo magis impróprium videtur, quod Pontificem nouo nomine, nec ei in scripturis sacris usquam attributo Christum, Domini indigetasti. Et paulo post; Reges quidem reperio sic in scripturis literis saepe saepius nominatos; Pontifici nomen hoc tributum ibi non memini. Iuuet nos Matthæus, & vel unum locum designet in toto volumine Bibliorum, ubi nomen hoc ulli Pontifici, sacri illi scriptores attribuerint.*

17. At mihi homo, nihil opus est, Matthæum ex Italia accersere, ut unum locum tibi designet. Ego, qui vobis vicinior sum, plura loca tibi designabo. Audi ergo. Exod. 29. 7. Oleum unctionis fundes super caput eius (Aaronis) atque hoc ritu consecrabitur. Et Leuitici. 4. 3. Si sacerdos, qui unctus est, peccauerit. Et Leuit. 8. 12. Fundens

dens oleum super caput Aaron, unxit eum, & consecravit. Et Leuit. 16. 32. Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit. Et Num. 3. 5. Hac nomina filiorum Aaron Sacerdotū qui uncti sunt, & quorum consecrata manus, ut sacerdotio fungentur. Et Num. 35. 25. Manebit ibi, donec Sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.

19. En, habes hic varia Scripturæ loca, in quibus sacerdotes dicuntur *Vncti*. Non ergo soli Reges dicuntur *Vncti*. Hoc discere poteras ex Augustino in Psal. 26. circa titulum Psalmi, vbi docet, olim in veteri Testamento, *vñctos* fuisse Reges & Sacerdotes; idque propterea quod *vtriq;* figurarent *vnum Christum*, qui erat futurus Rex simul & Sacerdos. Verba Augustini sunt hæc: *Tunc vngabantur Rex & Sacerdos. Dua istæ illo tempore vñcta personæ. In duabus personis prefigurabatur futurus unus Rex & Sacerdos, utroque munere unus Christus; & ideo Christus à Chrismate.* Et in Psal. 44. circa illa verba, *Vnxit te Deus, sic scribit; Vnctum audis, Christū intellige: Etenim Christus à Chrismate. Hoc nomen, quod appellatur Christus, vunctionis est; Nec in aliquo alibi vngabantur Reges & Sacerdotes, nisi in illo regno, vbi Christus prophetabatur & vngebatur, & unde venturum erat Christi nomen. Nusquā est alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno.*

20. Igitur ex sententia scripturæ & Augustini, non minus sacerdotes, quam Reges, dicuntur *Vncti*. At inquires, nō dicuntur Christi Domini, sicut Reges. Sed primum, nihil hoc obstat. Non enim de vocibus, sed de re per voces significata, disputamus. Porro hæ duæ voces, *Christus, & Vnctus*, eandem rem significant. Et, vt loquitur Augustinus, *Hoc nomen, quod appellatur Christus, vunctionis est.* Deinde, falsum assumis. Non solum *Vncti*, sed etiā Christi vocatur Sacerdotes in Scripturis. Sic enim legimus 2. Mach. 1. 10. *Populus, qui est Ierosolymis, & in Iudea, Senatusq; & Iudas, Aristobulo Magistro Opus.* Tom. II.

Ptolomai Regis, qui est de genere Christorum Sacerdotū, & his, qui in Aegypto sunt, Iudeis salutē & sanitatē. Aduerte. Aristobulus est de genere Christorū Sacerdotū. Sacerdotes igitur Christi. i. Vncti vocantur. Quid vis amplius?

21. Dices. Hæc omnia intelligūtur de sacerdotibus veteris Testamenti. Vellem autem videre locum, vbi Pontifex noui Testamenti (nimirum Papa) vocetur, *Christus: seu Vnctus.* Audi. Vellem vicissim videre locū, vbi Reges noui Testamenti vocentur eo nomine. An tibi liceat, hoc nomē, quod olim antiquis Regibus, & Sacerdotibus tributum est à Spiritu sancto; ad Regem Angliæ transferre; & nobis non liceat, simili iure, trāsferre ad Pontificem? Nimis multum tibi arrogas.

22. Addo, in nouo Testamento, semel duntaxat repetiri hoc nomen, *Christus Domini*, in ea significatione, de qua agimus; nempe apud Lucā c. 2. v. 26. vbi dicitur: *Responsum acceperat Simeō a Spiritu S. non visurum se mortem, nisi prius videret Christū Domini.* Hic Saluator noster appellatur *Christus Domini*; id est, *Vnctus à Domino.* *Vnctus* autem, & Rex, & Sacerdos, vt Augustin. supra notauit. Non oleo corporali, vt olim Reges & Sacerdotes in veteri Testamento: sed oleo spirituali, id est, Spiritu S. In eo enim requieuit *Spiritus Domini*, *Spiritus sapientiae & intellectus*, *Spiritus consilij & fortitudinis*, *Spiritus scientiae & pietatis*, vt est apud Isaiam c. 11. 3. Et hoc est, quod Dauid prædictix, Ps. 44. 8. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiae præ confortibus tuis*, id est, Deus vnxit te in Sacerdotē & Regē peculiari quodā modo, præ aliis Regib. & Sacerdotib. Nam te vnxit Spiritu S. illos oleo tantum corporali. Hinc colligo, cum Reges & Sacerdotes veteris Testamenti propterea vnceti fuerint oleo corporali, vt essent figura seu typus futuri Messiæ, qui vngendus erat in Regem & Sacerdotem oleo spirituali, eo magis hoc nomen, *Vnctus*, seu, *Christus Domini*, cōuenire

uenire Sacerdotibus, quam Regibus, quo magis Christus usurpauit officium Sacerdotis, quam Regis in hac vita. Aut certè si æquè usurpauit utrumque æquali iure, tam Sacerdotes, quam Reges, vocari posse *Vnctos*, seu *Christos Domini*. Nihil ergo causæ, cur hoc nomen tribui velis solis Regibus, & eripi Sacerdotibus: nisi quia tibi sic visum est.

Paradoxum VI.

23. **A** Is si præter Christum, etiam Pontifex esset caput Ecclesiæ, mōstrosum & bicipitem fore Ecclesiam. Sic enim habes, pag. 3; 1. *Mōstrosum verò corpus, cui plus uno sit capite.* Et infra pag. 398. *Vnicum est caput uni corpori. Ecclesia unum corpus.* Nisi bicipitem aquilam singas, aut tricipitem Geryonem, cui tot capita sunt, quot in mitra Pontificia corona. Christus ergo solus Ecclesiæ caput, non Papa.

24. At si ita est, vt tu hic vis: cur alibi affirmas (parum sanè tui memor) Regem esse caput Ecclesiæ? An non metuis, ne Ecclesia sit biceps, si non solus Christus, sed etiā Rex tuus, sit caput Ecclesiæ? Nam sic habes, pag. 3; 8. *Iam vero, vt nomen capitinis ad Regem reuocetur, arte mirabili non est opus.* Preiuit nobis voce *Spiritus sanctus*, 1. Reg. 15. 17. Nonne cum parvulus essem in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? Inter tribus vero Israël tribus Leui. Caput ergo Rex vel tribus Leuitica: qua in tribu tum Pontifex Achimelech sub Rege, capite suo. Chrysostomus hanc vocē capitinis, reuocauit ad Theodosium, eumq; dixit, non solum caput, sed quod in ipso capite maxime sublimè est, capitinis verticem, idque omnium in terris hominum.

25. Miror ego tuam inconstantiam. Dixisti paulò ante, solum Christum esse caput Ecclesiæ. Cur hoc? vt Papam, quem odisti, posses excludere. Nunc etiam

Regem vis esse caput. Nec caput modo, sed verticem capitum. Cur hoc? quia Regi placere & blandiri sat agis. Ita fit, ut Ecclesiam bicipitem esse, facile patiaris, si ad Regem attendas: non autem, si ad Pontificem: Et eadē Ecclesia, nunc pulchra tibi videatur, si habeat Christum & Regem Angliae ut duo capita: nunc monstrosa, si Christum & Papam. Apud cum tuo capite: in quo nunc vnum, nunc duo capita habet Ecclesia. Videletur in te quadrare illud Ecclesiastici, 27.12. Stultus, ut Luna mutatur: Et Iac. 1.8. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*

Paradoxum VII.

26. **A** Is, si Pontifex haberet potestatem deponendi Reges, meliori conditione fore Ethnicos, quam Christianos Reges: eo quod hi deponi ab eo possint, non illi. Sic enim habes pag. 36. *Hac doctrina semel promulgata, non multa post sceptra, credo, Christo subiiciuntur.* Quid enim? Rex Ethnicus deponi non potest a Papa, Christianus potest. Meliori ergo iure regnatur apud Ethnicos. Quis non de hinc iam (sicut est) manebit Ethnicus? Subditi, qui Ethnici sunt, officio suo in Reges laxari nequeunt: At Christiani queunt. Quis non subditos suos malit Ethnicos, quam Christianos? Quis Christianus Rex esse velit?

27. Nec cautē, nec Christianē loqueris. Non cautē. Primo, quia quod dixisti, retorqueri potest hoc modo, si Rex Angliæ haberet potestatē deponendi Episcopos (quod tu asseris) meliori iure essent Episcopi in Hispania, Gallia, Polonia, quam in Anglia: Nam hic deponi possunt ad arbitrium Regis, non ibi. Secundo, quia sicut nos fatemur, Reges Christianos deponi posse a Pontifice, si delinquant, non autem Ethnicos: sic tu fateris,

Reges

Reges Christianos excommunicari posse, non autem ethnicos: At ex tuo dogmate non recte infertur, meliori iure esse ethnicos, quam Christianos, cum tamen plus sit, priuari bonis Ecclesiæ spiritualibus per excommunicationem; quam priuari regno temporali per depositionem: Ergo multo minus ex nostro dogmate inferri id potest.

28. Nec Christianè. Non enim Christiani hominis est sic argumentari; Delicta Regum puniuntur apud Christianos, non autem apud ethnicos: Ergo malim esse Rex apud ethnicos, vbi non punirer, si delinquerem; quam apud Christianos, vbi punirer. Sic planè tu argumentaris. Si, inquis, Christiani Reges, quādo meriti sunt, deponi possunt, Ethnici, etiam si peccent, non tamen deponuntur: malim ethnicus esse Rex, quam Christianus. Nimirum satis ostendis, te pluris facere regnum temporale, quod admittere non velles; quam cælestē, de quo non magnopere curas.

Paradoxum VIII.

29. **A** Is, si Pontifex velit habere regnum tempore, suadendū ei esse, ut diabolū adeat, & ab eo petat; quippe cum ille ius habeat disponendi de regnis huius mūdi. Sic enim scribis, pag. 36. *Quod si Pontifici animus est ad regna mundi, est in Euangelio (memini) mentio de quodā, qui regna mundi penes se esse, eaqꝫ disponendi ius habere se dixit. Eū adeat censeo; cum illo trāsigat.*

30. Ioco, an seriò hoc dicis, mi homo? Vt rōuis modo, vel iniurius es in tuū Rēgem, vel certò cōtumeliosus in Pontificem; quorum neutrū te decet. De iniuria in Rēgem, non negabis. An tu (citra iniuriam) ausus fuisses, tuo Regi, cum regnū Angliæ post mortem Elisabethæ petebat, siue ioco, siue seriò respōdere in hæc

verba; *Si regnare vis in Anglia, diabolum adi, & cum eo transige, qui omnium regnorum distributor est?* Non opinor. Alioqui de facellis actū erat. Cur ergo Pōtifici sic loqui ausus es, nisi quia in illum cōtumeliosus esse vis?

31. At, inquies, Pontifex quārit regnum tempora-le, quod illi non debetur. Contentus sit regno spiritali. Sed, quid si simile dicam de tuo Rege? Quārit pri-matum Ecclesiæ, qui illi non debetur. Tēporali regno contentus sit. Addo, plus iuris esse Pontifici in regna temporalia, quam Regi tuo in Ecclesiam; quod alio loco dēmonstrandum est.

Paradoxum IX.

32. **A** Is non Petro Apostolo, sed Ecclesiæ datam esse potestatem excōmunicandi, per illa verba; *Dic Ecclesia; si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut Ethni-cus.* Itemque per illa; *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis: & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Addis tamen Ecclesiam posse transferre hanc potestatem, in quos voluerit. Sic enim habes pag. 14. *Potestas hac ibi cui data?* Non Apo-stolo Petro. Et infra: *Vt autem Petro potestas ibi non data, censurā hanc usurpandi; ita nec Petro si usurparet ratihabi-tio promissa. Dicitur enim; Quæcunque ligaueritis. Nō Pe-tro igitur, vel Papæ; sed Ecclesia.* Et iterū pag. 42. *Res ipsa, rei ipsius promissio, ratihabitio, & sus denique Ecclesiæ datur: ab Ecclesia, & habetur, & transfertur in unum, sive plures, qui eius post vel exercenda, vel denūtianda facultatē habet.*

33. Ex hac tua doctrina sequitur primò, olim tem-pore Apostolorum, potestatem excommunicandi im-meiatè datam fuisse Ecclesiæ Catholicorum, & ab illa translatam in Paulum Apostolum, ut eam exerceret in hominem incestuosum, & publicè denunciaret.

At hoc ipsum apertè negas eodem loco his verbis; *Paulus congregatis Corinthiis, potestatem censuræ denuncianda facit.* Sanè, si Paulus congregationi, seu Ecclesiæ Corinthiorum facit potestatem denunciandi censuram, ut hic affirmas; quomodo ipse ab eadem Ecclesia hanc ipsam potestatem accepere? Aut, quid, obsecro, necesse erat, illam dare Ecclesiæ, si iam ante Ecclesia illam habebat à Christo, per illa verba; *Dic Ecclesiæ?* Hæc non cohærent.

34. Secundò sequitur, hoc tempore in Anglia, potestatem excommunicandi esse immediate in Ecclesia Anglicana, non autem in Episcopis. Ab Ecclesia tamē eam dari posse Episcopis. At si ita est, cur Ecclesia Anglicana non dat Regi, Primi suu, hanc potestatem? cur potius dat Episcopis, quam Regi, cum Episcopi subiecti sint Regi in iurisdictione Ecclesiastica, ut vos vultis? An non turpe est, vos potestatem facere Episcopis, ut possint Regem suum, caput suum, Pastorem suum & Primate excōmunicare, & extra Ecclesiam eiicere: Et nolle eandem potestatem facere Regi, ut possit subditos suos eadem pœna coērcere? Certe aut valde iniqui estis in Regem vestrum; aut non serio Primum Ecclesiæ illi tribuitis. Alterutrum necesse est. Tu nunc vide, quo spiritu illa verba à te scripta sunt, pag. 151. *Nos Principi censuræ potestatem non facimus.* Et quare non facitis, si vere Pastorem & Primate agnoscitis? Sed pergo.

Paradoxum X.

35. **A** Is, Prophetiam Apocalypsī de Antichristo, iam impletā esse, ac proinde tam claram, ut oculis usurpari possit. Sic enim habes, pag. 186. *Minimè verò mirum, si ista, quæ dixi, tam vel claram, vel certam,*

in Scripturis Patrum interpretationem non habeant. Signatus adhuc liber huius prophetiae erat. Et paulò post; Mirari tamen non debeat quis, si non illis tum adeo explicata omnia fuerint, quam nobis, per Dei gratiam, iam sunt, qui consummatam iam prophetiam illam quotidie oculis usurpamus.

36. Itane vero? At Rex tuus contrarium sentit. Nam in sua monitoria præfatione disertè ait, prophetiam illam de Antichristo obscuram adhuc esse & inuolutam; & per solas coniecturas de illa disputari posse. Verba eius sunt hæc. *Sanè quod ad definitionem Antichristi, nolo rem tam obscuram & inuolutam tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam urgere. An, quod Regi tuo obscurum & inuolutum est, tibi quotidie oculis usurpatur? Non credam. Pergit Rex; Id autem maximè mihi in votis est, ut si cui hanc meam de Antichristo coniecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat. Tibi, Sacellane, necesse non est, singulis respondere. Tu verbo rem conficies, si dixeris; Domine Rex, erras de coniectura: quod oculis usurpatur, extra coniecturam est. Nos omnes oculis quotidie usurpamus mysterium Antichristi: Tu solus in Anglia non vides. Vicisti.*

37. Nec Regi modo, sed & tibi ipsi contrarius es. Nam si prophetia de Antichristo iam consummata est, & oculis omnium usurpatur, ut tu asseris; quis tandem est Antichristus ille, de quo prophetia loquitur? Papa, inquies. Hoc enim & Rex tuus, non quidem oculis usurpat, sed tamen coniectat. Sit ergo ita. At alibi dicis, Regem tuum à Papa excommunicari posse, quamuis non regno priuari. An ergo Antichristus Regem tuum excommunicare potest? Vide, quid dicas. Et caue ne dum adulando placere vis Regi; per imprudentiam displiceas.

Paradoxum X I.

38. **A** Is, Reges Daniæ & Suetiæ, necnon Principes Germaniæ cum multis aliis, idem sentire in rebus fidei, quod Rex Angliæ sentit. Nam pag.
53. sic scribis; *Quod si præsentis instituti foret, edoceri posses serenissimum magnæ Britanniæ Regem, & qui cum eo sentiunt, Reges Daniæ & Suetiæ, Germania Principes, Respublicas Helvetiæ & Rhetiæ, quique per Galliam, Belgium, Poloniæ, Hungariam, Bohemiam, Austria, Ordines à nobis sunt, partem esse dominici gregis, nec minorem, nec minus illustrem partem, quam que est pars Pauli V.*

39. Etiam si præsentis instituti esset, nunquam edocere posses, quæ hic scribis. Hoc sigillatim tibi ostendam. Primum ais, Regem tuum consentire cum Regibus Daniæ & Suetiæ. At, qui hoc fieri potest? Reges illi Lutherani sunt, & realem Christi in Eucharistia præsentiam agnoscunt: quam Rex tuus omnino pernegat. Secundò, idem affirmas de Principibus Germaniæ, & aliarum Prouinciarum ordinibus. At hi ipsi inter se non consentiunt, cùm alij aperte Lutherani, alij Caluinistæ sint. Quomodo ergo disseceti inter se, cum Rege tuo conspirare possunt? Nisi Rex tuus (quod insinuas) cum Caluinistis profiteatur religionē Caluinisticam, & cum Lutheranis Lutheranam: *omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaciatur.* Tertiò. Esto tamen, quod non est: Et hi omnes, tam Lutherani, quam Caluinistæ consentiant inter se, & cum tuo Rege: quomodo verum erit, quod addis, *partem esse dominici gregis?* Non capio hoc. Non, inquam, capio, quomodo sint pars gregis, & non totus grex. Vel enim præter eos, qui à te nominati sunt, adhuc alij pertinent ad dominicum gregem, vel nulli. Si alij, quare non nominasti?

aut qui illi sunt? Non opinor, ex tua sententia, Pontificios aut Anabaptistas esse. Hoc enim non pateris. Si nulli præter illos, quare partem gregis dominici, & non potius gregem nominasti? Dicam, clarius. Si Reges Angliæ, Daniæ, Suetiæ, & alij Principes ac ordines, qui cum illis consentiunt, sunt pars gregis dominici, & non totus græx; necesse est, præter eos, aliam esse partem gregis dominici, quæ cum illis non consentiat: ac proinde totum Christi ouile constare duabus partibus, quarū altera ab altera dissecta sit. Ita ne sentis? Si non; explica te melius.

40. Sed demus hoc quoque. Sint pars gregis dominici, qui cum Rege tuo sentiunt. Quæ fronde addis, partem illam, nec minorem, nec minus illustrem esse, quam quæ est pars Pauli V. Hoc minus capio. Cum Paulo V. sentiunt Rodolphus Imperator, Reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ; Archiduces Austriæ; Principes Electorales, Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis; Dukes Bauariae, Lotharingiæ, Brabantie, Franconiæ, Hetruriæ; Episcopi, Bambergensis, Constantiensis, Spirensis, Wormatiensis, Paderbornensis, &c. ut multos alios omittam. Et tu audes scribere, hanc esse minus, aut certè non magis illustrem partem, quam quæ tuo Regi consentit in religione? Nemis intemperans es in asseuerando. Et Rex tuus, quia stipes non est, facile aduerteret, palpum sibi à te obtrudi.

Paradoxum X I I.

41. **A** Is, Regi Angliæ non esse iam liberum, mutare religionem; aut Catholicam in suo regno admittere, eo quod bis iurauerit, se id non factum. Sic enim habes, pag. 81. *Nec in eo Regi audiendus, quod consilium das de religione libere habenda: integrū hoc iam*

iam illi non est. Nam non semel periurus sit, quin bis, si te audiat. Quia enim (si qua est fidei bis data conscientia) vel conscientia, vel fide ferret in regnis suis ritus vestros, vel usum eorum publicū, qui suscepta primum Scotia, suscepta deinde Angliae corona regia, ubique solenni ritu, Deo iusti- randum præstítit de conseruanda in statu suo illa colendi Dei formula, nec alia, quam quæ in regnis suis tum publicè recepta, & utriusque gentis legibus stabilita esset?

42. Nimirum, ut video minaris Regi, fore, ut periurus à te habeatur, si religionem Catholicam in suo regno admittat, aut suam deserat, & aliam amplectatur. An ergo putas, nemini integrum esse, mutare religionem, si iurauerit se non mutatum? Ita apparet. At, si falsa sit religio quam iurauit se seruaturum, quid tunc ager? Persister potius in falsa religione, quam iuramentum violet? Cae ne dixeris. Iuramentum, aiunt Iureconsulti, non est vinculum iniquitatis. Addo ego, nec falsitatis. Igitur non obstante iuramento, quantumuis sèpè repetito, potest quis mutare religionem, si falsa sit: potest rescindere pactum, si iniquum. Nihil certius. Quid ergo iam ageres, si Rex tuus diceret, religionem illam, quam modo profiteretur, falsam esse? An virgines iuramentum? At hoc nullum est in re mala. An suaderes, ut abiecta falsa, veram amplectetur? Benè quidem. Sed cur hoc dissimulas? Cur tantopere virges iuramentum, quasi nunquam ullo casu vel euentu licitum sit, mutare religionem, quæ iuramento firma ta est, etiamsi impia sit? Collige te melius, & tunc loquere.

43. Adhuc unum abs te quaro. Rex tuus in monitoria præfatione, hortatur Reges & Principes Catholicos, ut deserta sua fide ac religione, quam hactenus sub Pontifice professi sunt, amplectantur Anglicanam, quam ipse profiteretur. Constat autem plerosque illorum,

illorum, in susceptione Regni, iuramentum prestitisse; nunquam se id facturos. Hic quæro, inquam, an Rex tuus legitimè ac prudenter eos hortatus sit, ut hoc facerent, nec ne: Si legitimè ac prudenter egit, cur accusas Catholicos, qui in meliori causa simile quid faciunt? Si illegitimè ac imprudenter, cur non monuisti, ut abstineret; cum illi à facello sis, & fortasse à calamo? Vbique impingis.

Paradoxum III.

44. **A** Is Bellarminum esse votifragum, eo quod ex Iesuita factus sit Cardinalis. Sic enim habes pag. 56. *At votum non video, cur à Matthæo (Torto) nominari debuit, nisi si interposita voti mentione, Domino suo (Bellarmine) gratificari voluit, qui olim Iesuita factus, voti se reum fecit, & hoc votum iam fregit, postquam ostrom induit.*

45. *Æquè, ut appareat, intelligis, quid sit Votifragū esse, ac, quid sit, Periurum esse. Et sicut paulo ante volebas Regem tuum pronunciare periurum, si religionem Catholicam in suo regno admitteret; ita nunc Bellarminum pronuncias votifragum, quia dignitatē Cardinalitiam inuitus amisit. Certè ad conuiciandum valde propensus es. Et cur obsecro Lutherum non dicis Votifragum, qui ex Monacho factus est Maritus (si tamen Maritus, & non potius sacrilegus fornicator aut adulter) cur non periurum, qui abiecta antiqua fide, quam à Christo, Apostolis & maioribus suis sanctissimis simul ac doctissimis acceptam, iuramento firmauerat, nouitiam, Christo & veritati repugnante amplexus est?*

46. *Vt rem intelligas, sic accipe. Aliud est absolute & simpliciter aliquid vovere, seu Deo promittere; aliud*

aliud verò, cum certa limitatione. Qui priori modo
vouet, tenetur præstare, quod promittit. Qui posterio-
ri, potest solui obligatione, quādo limitatio patitur.
Exempla habemus in veteri Testamento. Nam filiæ &
vxores vouebant cum hac limitatione, si parentes &
mariti consentirent; (Num. 30.) Nazaræi cum hac, ut
eertò duntaxat tempore, & non omni vita, vellent se
obstringere (Num. 6.) Simili modo fit in nostra Socie-
tate. Qui simplici voto se obstringit, non aliter censem-
tur obstrictus, quām ad arbitrium Superiorum. Vnde
si Superiores ex iusta causa dimittant illum à societa-
te, cessat obligatio. Qui autem solēni voto se obstrin-
git, pendet ex arbitrio Papæ; qui illum potest eripere
Societati, & in alio statu collocare. Et quid hoc noui
est? Quotidie apud vos similia fiunt. Promittitis Regi
vestro fidelitatem, & obedientiam, sed cum hac du-
plici limitatione. 1. quādiu manet in Anglia. 2. quā-
diu Rex non mutat religionem. Si secus fiat, putatis
vos non obstringi.

Paradoxum XIV.

47. **A** Is, Catholicos docere, fidem non esse seruan-
dam, & perfidiam esse licitam. Sic enim ha-
bes pag. 136. *Vos, qui fidem non seruandam, id est, perfidiam*
licitam legitimāque docetis, etiamne vos quicquam de per-
fidia audetis hiscere? & in turpitudinem vestram, etiam vel
nomen nominare?

48. At, mi homo, qui sunt illi apud nos, qui sic do-
cent? Si nihil aliud, quam mentiri & calumniari, pro-
positum tibi est, non magnopere miror, te ista scribere.
Est enim (quod pace tua dixerim) luculentum mé-
daciū, & aperta calumnia. Si autem veritatis studio-
sus es, (ut te esse oportuit) cur rem non prius exami-
nasti?

nasti? Inuenisses sine dubio, aliam doctrinam apud Catholicos. Et si adhuc lubet, videre potes, quæ de hoc argumento à me pridem scripta sunt in disputatione, *De fide hereticis seruanda: & in Questionibus Miscellaneis* de eadem materia. Ibi inuenies, quid Catholici verè sentiant; quid aduersarij falso calumnientur.

Paradoxum XV.

49. **A** Is, Catholicos esse de prosapia Malchi, eo quod omnia audiant & interpretetur sinistra aure; nihil dextra. Sic enim habes pag 92. Interea tamen dextra datum, dextra positum, quicquid in iuramento positum. Quod dextra datum est, vos sinistra accepistis, & de Malchi prosapia estis, cui praecisa auris dextra: nec ulla vobis auris reliqua, nisi sinistra, qua auditis omnia: omnium, qua à nobis dicuntur, sinistra, qua auditis omnia: omnium, qua à nobis dicuntur, sinistri auditores & interpres.

50. More tuo, vel nugari pergis, vel cōtumeliam inferre. Sed non laboro. Faciamus esse, quod dicis; Catholici sint de prosapia Malchi. Quid hinc efficis? Nihil sanè contra nos. An nescis ex Euangelio, Malcho mox, ut abscissa est auricula dextra, à Christo restitutā esse? Et ideo restitutam esse, ut nihil sinistra, sed omnia, quæ audiret, dextra interpretaretur? Si ergo nos de prosapia Malchi esse vis, fateri debes, ita nobiscum actum esse à Christo, ut omnia dextris auribus, nihil solis sinistris audiamus & interpretemur.

51. Quod si vicissim luberet iocari, non dicerem vos esse de prosapia Malchi, cui auris abscissa est, sed de prosapia Iudeorum, qui aures habent & non audiunt iuxta illud Matth. 13. 14. Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt

runt, & oculos suos clauserunt. Et quæ sequuntur. Sed no-
to vobiscum sic agere.

C A P. I I I.

De Primatu Regis male defenso à Sacellano.

1. **Q** Via semel propositum tibi est, Regi adulari; quicquid illi placere nosti, omnino tueri & approbare vis. Hoc animo & affectu, Primatum Ecclesiæ, quem ipse sibi usurpat, propugnare ansus es. Sed infelici sane euentu. Dupliciter enim peccas in hoc genere. Primò, quia multa suppeditas argumenta, quæ euertunt Primatum Regis; quod tamē per imprudentiam à te factum est. Secundò, quia quæ adfers pro primatu Regis, tam parui momenti sunt, ut res abeat in contemptum. Vtrumque tibi ostendam. Quod ad prius attinet, ex tuis principijs colligi possunt hæc argumenta contra Primatum Regis.

I. A R G U M E N T U M.

Contra Primatum Regis ex Sacellano.

2. **P**rimum argumentum sic instituo. Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam, nec in foro interiori, nec exteriori: At Rex ex tua doctrina nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam, nec in foro interiori, nec in exteriori: Ergo non habet primatum Ecclesiæ. Maior propositio per se nota est, quia nomine Primatus Ecclesiæ, nihil aliud hoc loco intelligimus, quam supremam iurisdictionem Ecclesiasticam. Qui ergo nul-
lam

Iam habet Iurisdictionem Ecclesiasticam, nec internā, nec externam, non habet Primatum Ecclesiæ. At Rex, ex tua doctrina, nullam habet.

3. Non internam. Hæc enim consistit in potestate clavium, seu potestate remittendi peccata in foro conscientiæ, quam Rex non habet, ut fateris pag. 380. his verbis: *Rex non assumit ius clavium.* Et merito. Nō enim Regibus, sed Apostolis dictum est à Christo. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

4. Nec externam. Hoc euidenter conuincam ex tuis principijs. Sunt autem hæc tria. Primum, quod Iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, non alio loco fundata sit, quam illo Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiae: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Alterum, quod Iurisdictione, quæ illo loco fundata est, nihil aliud sit, quam ius censuræ, seu potestas excommunicandi. Tertium, quod Rex non habeat ius censuræ, seu potestatem excommunicandi. Agnoscis, credo, hæc tua principia. Et quidem hoc tertium habes pag. 151. his verbis; *Nos Principi potestatem censuræ non facimus.* Et iterum pag. 380. *Rex non assumit ius censuræ.* Duo vero priora, pag. 41. his verbis; *Censura duplex est; Publicani & Ethnici; minor & maior. Minor à Sacramentis excludit modo. De maiore vero, quæ arcet Ecclesia ipsa, quæ perinde reddit, ut Ethnicos, vix quisquam est, quin fateatur, institutam eam à Christo, Matthæi 18. per verba, Dic Ecclesiae: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* De exteriore foro ibi agitur. Exterioris fori Iurisdictione, illo, nec alio loco fundata est. Attende quid hic dicas. Iurisdictione fori exterioris, ubi fundatur in Euangelio? Non alibi, inquis, quam Matth. 18. Benè habet.

5. Hinc iam ita concludo, Omnis Iurisdictione Ecclesiasti-

clesiastica fori exterioris, fundatur in illo solo loco; *Dic Ecclesiæ: At iurisdictionem illo loco fundatam non habet Rex: Ergo nullam habet fundatam in Euangelio Christi, sed in cerebro Sacellani. Vide nūc, quid actu-rus sis cum Rege, qui per tuam doctrinam, omni Ec-clesiastica potestate spoliatus est. Et reuoca illa verba, quæ scripsisti pag. 90. Primatus spiritualis debetur Regi-bus omni iure. Non sanè omni iure, quia ut iam fassus es, non iure Euangelico, seu noui Testamenti.*

II. Argumentum.

6. **A**lterum, nec minus efficax argumentum, est huiusmodi. Is non habet Primum Ecclesiæ, qui neminem quantumuis reum ac nocentem, potest expellere ab Ecclesia, & tamen ipse, si nocens sit, ab aliis expelli potest: Vel quod idem est, qui neminem potest excommunicare, & tamen ipse ab aliis excom-municari potest. At Rex, iuxta tuam doctrinam, neminem potest excommunicare, seu eiicere ex Ecclesia, & tamen ipse ab aliis excommunicari seu eiici potest: Ergo iuxta tuam doctrinam, non habet Primum Ec-clesiæ.

7. Maior certa est Et patet in simili exemplo. Nam sicut is non censetur Rex, qui neminem, quantumuis flagitiosum, potest è regno proscribere, & in exilium mittere; & tamen ipse ab aliis, si deliquerit, proscribi & in exilium mitti potest; sic planè se res habet in no-stro casu. Nunc subsumo. At Rex neminem potest ex-comunicare, seu ab Ecclesia arcere, quia nō habet ins-censuræ, vt tu loqueris: Et tamen ab aliis potest excom-municari, seu ab Ecclesia arceri, vt fateris, pag. 39. his verbis; *Aliud est priuare Regem bonis Ecclesiæ communi-bus, quod facit sententia, & potest fore Pontifex: aliud, pri-*

uare bono proprio, id est, regno suo, quod non facit sententia, nec potest Pontifex. Priuabit censura Pontificis societate fidelium, qua fideles sunt; Bonum enim illud spiritale, & ab Ecclesia. Non priuabit obedientia subditorum, qua subditi sunt: bonum enim ciuile hoc, nec ab Ecclesia. Concludo. Ergo Rex, ex tua sententia non habet Primatum Ecclesiæ.

8. Atque hoc ipso argumento, quod ex tua doctrina sumptum est non solum probo, Regem nō habere Primum Ecclesiæ, sed etiam Regem longè aliter sentire quā tu sentis. Tu enim fateris, ut ex citatis verbis pater, Regem à Pontifice excōmunicari posse: Ergo etiam fateri debes, Regem in hoc casu inferiorem esse Pontifice. At Rex tuus in monitoria Præfatione, id negat his verbis; *Nam neque Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credo, pace illius dixerim.* Si nulla ex parte inferior est, quomodo excommunicari seu puniri ab eo potest? Vide, quo pacto salues hic tuum Regem.

III. Argumentum.

9. Tertium argumentum fundatur in illis tuis verbis pag. 177. Duo hac regna, Reipublicæ & Ecclesiæ, quandiu duo manent, hoc ab illo diuisum, duos habent: postquam in unum coalescunt, non ut in duobus duo, sed ut in uno unus primus est. Vis hoc dicere; In hoc mundo, duo esse regna distincta, vnum Reipublicæ ciuilis, alterum Ecclesiæ Christi: hæc quandiu manent duo, habere duos Primates, seu supremos Principes, quando autem in vnum coalescunt, non habere nisi vnu Primate, seu supremum Principem. Accipio, quod das; & subsumo. At in noua lege, quam Christus instituit, manent duo nec in vnum coalescunt: Ergo in noua lege, debent esse duo distincti Primates, quorum alter p ræsit Ecclesiæ, alter Reipublicæ ciuili. Ergo Rx An-

gliæ si pertinet ad nouam Legem , non potest utriusque simul.

10. Quid potes hic tergiuersari ? Dic obsecro , an tempore Christi , qui nouam legem instituit , fuerint diuisa hæc duo regna , an verò in vnum coaluerint ? Hoc posterius,nec potes,nec audes affirmare ; quia si Ecclesia & Respublica in vnum coaluerint tempore Christi , iam vnum utriusque fuisset primas , iuxta tuam doctrinam . Vel ergo Christus fuisset simul primas Ecclesiæ & Reipublicæ ; quod minimè concedis : vel neutrius fuisset , quod est contra Scripturam . Superest ergo , ut tempore Christi fuerint diuisa illa duo regna , ac proinde habuerint duos diuersos Primate s : Ecclesia quidem Christum , Respublica verò Regem vel Imperatorem .

11. Iam verò , si tempore Christi , non fuit vnu s idem que primas Ecclesiæ , & Reipublicæ , quod fateri debes , quomodo Rex tuus , qui Christi institutum profitetur , utrumque Primum usurpare sibi audet ? Nisi dicas , eū id facere ex more Iudæorum , non Christianorū , ideoque in hac re Iudæis similem esse , nō Christianis . Hoc enim videris velle , cum ait , pag . 563 . *A more instituto que Israëlis orditur Apologia , inde enim vim habet , atque neruos suos questio hac omnis (nempe de Primo) in Israële enim populo suo , regnum instituit Deus , & Ecclesiam in regno , ex mente sua . Exemplum inde nobis sumendum est , cum in Testamento nouo nullum habeamus . Nusquam ibi in vnum coaluerunt Ecclesia & Imperium .*

12. Ex hac tam luculenta tua confessione , duo colligo . Vnum est , Regem Angliæ sine ullo exemplo noui Testamenti , usurpare sibi utrumque Primum Reipublicæ & Ecclesiæ . Alterum , vel Regem Angliæ , vel alios Reges & Imperatores in errore versari . Nam si , ut tu loqueris , nusquam in nouo Testamento Ecclesia &

Imperium in vnum coaluerunt; & iam tandem in Anglia in vnum coalescunt, necesse est, vel haec tenus erratum esse ab omnibus, & vestrum Regem cœpisse primum sapere; vel certè, quod credibilius est, alios in hoc genere sapuisse; vestrum Regem à meta aberare.

13. Video quid obiici possit. Hoc nimurum quod etiam Pontifex in parte Italæ usurpet utrumque Primum, Reipublicæ & Ecclesiæ. Fateor ita esse. Sed illa coniunctio, iure tantum humano introducta est. Tu autem contendis, Regem Angliæ habere utrumque Primum iure diuino. Hoc probare non potes.

IV. Argumentum.

14. **Q**uartum argumentum suppeditas pag. 35. & 36. cum ait; Christus enim, cuius hic vicem obtendis, non sic præfuit, dum in terris fuit. Regnum, quod de mundo fuit non habuit: Regni, quod non habuit, vices commisit. Et paulo post; Est ille quidem Rex Regum, sed qua Regum Rex est, immortalis est; mortalem nullum Proregem habet. Papa mortalis ipse, non aliter Christi Vicarius, quam qua mortalis Christus.

15. His verbis conatis probare, Pontificem, tametsi Christi Vicarius sit, non tamē habere regnum tempore. Supponis autem dupliciter spectari posse Christū. 1. quatenus est immortalis seu secundum diuinitatem. 2. quatenus est mortalis, seu secundum humanitatem. Hoc posito, sic argumentaris; Christus secundum diuinitatem, seu, quatenus est immortalis, est quidem Rex Regum & habet omnia regna huius mundi in sua potestate, non tamen habet ullum vicarium mortale: At Papa mortalis est: Ergo non est Vicarius Christi, quatenus hic immortalis, seu Deus est. Christus porro secun-

secundum humanitatem, seu quatenus mortalis est, non habet ullum regnum temporale: Ergo non potest habere ullum Vicarium in regno temporali: Ergo Papa, licet Vicarius illius sit, non est tamen in regno temporali, sed solum in spirituali.

16. Hæc vis argumenti tui est. Sed an non vides retorqueri posse in tuum Regem? Imo eodem planè argumento, & regno temporali, & Primatu Ecclesiæ spoliari potest Rex tuus. Quod sic ostendo. Si Rex tuus habet regnum temporale, vel habet illud tanquam Vicarius Dei immortalis, (quod ipse vult) vel tanquam Vicarius Christi mortalis. Neutrū dici potest. Non prius; quia Deus, qua immortalis, non habet Vicarium mortalem, ut tu sponte affirmas: At Rex tuus, sine dubio, mortalis est: Ergo non est Vicarius Dei immortalis. Nec posterius; quia Christus, qua mortalis, non habet regnum temporale: Ergo nec Vicarium regni temporalis: Ergo Rex tuus non est Vicarius Christi in regno temporali. Aut ergo omni regno temporali exurus est; aut, si quod habet, in eo gubernando debet esse alterius Vicarius, quam Dei immortalis & Christi mortalis. Hoc non concederis. Ergo illud concedendum est.

17. Hinc vterius concludo; Rex tuus non alio titulo arrogat sibi Primum Ecclesiæ, nisi quia Rex est temporalis & Vicarius Dei: vt iam ostendi ex tua doctrina, non esse Regem temporalement, nec Vicarium Dei. Ergo non potest titulo Regis temporalis, arrogare sibi Primum Ecclesiæ. Hic tu succurre illi, si potes.

V. Argumentum.

18. **Q**VINTUM argumentum sumi potest ex illis verbis tuis, pag. 39. Aliud est priuare Regem bo-

nis Ecclesiæ cōmunibus, quod facit sententia, & potest forte Pontifex: aliud priuare bono proprio, id est, regno suo, quod non facit sententia, nec potest Pontifex. Priuabit censura Pontificis societate fidelium, qua fideles sunt: bonum enim illud spirituale, & ab Ecclesia: Non priuabit obedientia subditorum, qua subditi sunt: bonum enim ciuile hoc, nec ab Ecclesia.

19. Hic distinguis duplia bona, quæ Regi conueniunt. Alia vocas spiritualia, quæ ab Ecclesia sunt; alia ciuilia, quæ ab Ecclesia non sunt. Addis, hæc esse propria Regis, quibus per censuram priuari non potest: illa, communia Ecclesiæ, quibus priuari potest. Nunc quæro, an Primatus Ecclesiæ, quem Rex usurpat, pertineat ad communia bona Ecclesiæ; an potius ad propria ciuilia? Alterutrum fateri oportet, si distinctio tua proba & sufficiens est. Si pertinet ad bona communia Ecclesiæ, sequitur, quemuis fidelem, qui in Ecclesia est, non minus esse Primatem Ecclesiæ, quam Regem. Nam bona, quæ omnibus Christianis in Ecclesia existentibus communia sunt, nō magis ab uno, quam ab alio usurpari debent. Si autem pertinet ad bona ciuilia, sequitur Regem, per censuram Ecclesiasticam non priuari Primatu Ecclesiæ; ac proinde, postquam excommunicatus est, & extra Ecclesiam, more Ethnicorum, constitutus, adhuc manere Primatem Ecclesiæ. Quo nihil absurdius.

20. Simile argumentum sumitur ex verbis tuis sequentibus, quæ sic habent, pag. 40. Rex qui uis, cum de Ethnico Christianus fit, non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum, puta, in bonis Ecclesiæ spiritualibus. Itidem, cum de Christiano fit, sicut Ethnicus, vigore sententiæ amittit nouum ius, quod acquisierat in bonis Ecclesiæ spiritualibus: sed retinet tamen terrenū ius, antiquū ius in temporalibus, quod fuerat illi proprium, priusquam Christianus fieret.

21. Hic

21. Hic etiam distinguis duplex ius Regis. Alterum antiquum & terrenum, quod Rex habet antequam est Christianus. Alterum nouum & spiritale, quod acquirit, quando fit Christianus. Nunc similiter quæro, an Primatus Ecclesiæ, quem Rex tuus usurpat, pertineat ad ius antiquum & terrenum, an potius ad nouum & spiritale? Si ad antiquum & terrenum, sequitur, Reges ethnici, antequam Christiani sunt, habere Primatum Ecclesiæ, quod est absurdum. Si ad nouum & spiritale, sequitur, Reges, quando per baptismum sunt Christiani, seu membra Ecclesiæ, plus accipere in baptismo, quam alios homines, quod tu alibi negas. Contendis enim, omnes mortales, cuiuscunque fortis aut dignitatis sint, pares esse in iis, quæ per baptismum acquiruntur.

VI. Argumentum.

22. Extum argumentum insinuas, pag. 35. cum ais;
SNec enim Regū subditi, qua subditi, Ecclesia pars vlla sunt, sed regni. Antequam de Ecclesia essent, subditi erant: cum extra Ecclesiam sunt, nihilominus manent subditi. Qua fideles sunt, pars Ecclesiæ sunt: qua subditi sunt, regni ac Reipublicæ pars sunt.

23. Vnde sic argumentor; Iurisdictio Regis non extendit se, nisi ad subditos Regis, qua subditi sunt, (si enim spectentur, qua subditi non sunt, non possunt subesse iurisdictioni Regis.) At subditi Regis qua subditi, non sunt pars Ecclesiæ, sed tantum Reipublicæ, ut tu asseris: Ergo iurisdictio Regis, quam habet in subditos, qua subditi sunt, non potest esse Ecclesiastica, sed tantum ciuilis: Ergo non subsunt Regi in rebus Ecclesiasticis, sed tantum in ciuibus. Nihil certius ex tuo principio.

Argumentum Sacellani pro Primatu Regis.

24. **O** Stendi haec tenus, ex tua doctrina sumi posse firma argumenta ad cuertendum Primatum Regis. Nunc videamus, an æquè valida sint, quibus eundem Primatum astiuere conatus es. Omittam ea, quæ tibi cum Rege communia sunt, & alibi à me refutata. Vnum, quod tibi peculiare est, excutiam. Hoc autem proponis, pag. 157. his verbis; *Dixit olim Iosuæ populus, in omnibus paritum se ei, sicut & Mosi paruerunt: paruerunt autem & Mosi in Ecclesiasticis.* Non intercessit tum Pontifex Eleazarus, ne in omnibus, sed temporalibus. *Quod si quicquam interesse putet, quod Iosue verus Dei cultor fuit: ne in Orthodoxis solis locum habere videatur, Rex Babel certè heretico par, nempe idololatra;* cui tamen Propheta non modo non dissuasit populo, sed author etiam fuit submittendi colla sub iugo eius eique seruandi. *Idem Pharaoni factum, cuius absque venia, nec pedem mouere voluerunt de Ægypto, ut Deo sacrificarent.* *Idem Cyro, cuius itidem absque venia, nec excedere Chaldaea, ut Templum edificarent.*

25. Vis argumenti est hæc; non soli Orthodoxi Reges in veteri Testamento, sed etiam gentiles & idololatræ habuerunt Primatum Ecclesiæ. Ergo idem dicendum est de Regibus noui Testamenti. Priorem partem antecedentis probas exemplo Iosuæ, cui populus Iudeorum dixit (Iosue 1.17.) *Sicut obedivimus in cunctis Mosis, ita obediemus & tibi.* At Mosi obediverrunt, non solum in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis: Ergo & Iosuæ. Posteriorem probas exemplo trium Regum gentilium, Nabuchodonosoris in Babylonie, Pharaonis in Ægypto, & Cyri in Chaldaea, quibus etiam in Ecclesiasticis subiecti erant Iudei,

dei, quia sine illorum venia non audebant, aut sacrificium offerre, aut Templum ædificare.

26. Ut videoas, quām parum momenti sit in hoc tuo argumento, singulas eius partes breuiter examinabo. Ac primò, dicam aliquid de Mose. 2. de Iosue, qui illi successit. 3. de Regibus gentilibus, quos cistasti. De Mose certum est, fuisse non modo Principem sacerularem, sed etiam Ecclesiasticum: aut, si omnia dicenda sunt, quadruplicem personam sustinuisse. Primam, Principis secularis. Alteram, Legislatoris. Tertiam, summi Sacerdotis seu Pontificis. Quartam, Prophetæ. Hoc testatur Philo lib. 3. de vita Mosis, in fine, cùm ait; *Hæc est vita, hic exitus Mosis Regis, Legislatoris, Pontificis, Prophetæ.* Et aperte conuincitur ex scripturis. Quod enim fuerit Princeps seu Index sacerularis, patet ex illo Exodi 18. 13. Altera die sedid Moses, ut iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane usque ad vesperam. Vnde Augustinus quæst. 68. in Exodum; Sedebat, inquit, iudicaria potestate solus, populo uniuersostante. Quod fuerit Legislator, patet manifestè, tum ex aliis locis, tum ex illo, Ioan. 1. 17. *Lex per Mosen data est.* Quod fuerit Pontifex, seu summus Sacerdos, partim colligitur ex illo; Psalm. 98. 6. *Moses & Aaron in Sacerdotibus eius;* partim ex officio Sacerdotali, quod exercuit. Nam (ut habetur Leuit. 8.) consecravit Aaronem in Sacerdotem, sanctificauit tabernaculum & altare, obtulit sacrificia, & holocausta, obtulit incensum Domino. Hoc autem nemini licebat facere nisi Sacerdoti, iuxta illud 2. Paralip. 26. 18. *Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum.* Quod denique fuerit Propheta, constat ex illo. Num. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus

est. Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per anig-
mata, & figuratas Dominum videt. 26. Iosue non successit
Mosi in his omnibus. Non enim in Pontificatu, seu
summo sacerdotio. Non in Legislatione. De Prophe-
tia non dispiuto. Successit tamen in Principatu sæcu-
lari. Hoc patet ex illo, Numer. 27. 18. *Dixitque Domi-
nus ad Mosen: Tolle Iosue filium Nun, & posce manū tuam
super eum. Qui stabit coram Eleazar Sacerdote & omni
multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, &
partem gloriae tuæ, ut audiatur eum omnis Synagoga filiorum
Israël.* Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos
consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingre-
dierit ipse, & omnes filii Israël cum eo, & cetera multitudo.
In quibus verbis tria notanda sunt, quæ ad rem nostrâ
faciunt. Primum, quod Iosue sit designatus successor
Mosis. Alterum, quod Moses dederit illi partem gloriae
suae, id est, quod non dederit illi totâ potestatem quam
habebat, tam saceralem, quam Ecclesiasticâ, sed tan-
tum saceralem. Tertium, quod voluerit illum subesse
Eleazar Sacerdoti, & ad eius imperia omnia facere.
Hoc enim significant illa verba; *Pro hoc (Iosue) si quid
agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.* Ad ver-
bum eius, id est, Eleazari, egredietur & ingredietur Iosue.

28. Hinc facile intelliges, quam alieno sensu à te
citatum sit illud; *Sicut in istis obediimus Moysi, ita obe-
diemus & tibi.* Tu enim sic accipis, quasi populus Iu-
dæorum debuerit in omnibus, tam Ecclesiasticis quam
sacerularibus obediare Iosuæ, sicut obediuerat Mosi. Sed
erras. Primò, quia in Ecclesiasticis debebant obediare
Eleazar Sacerdoti. Secundò, quia illa verba; *Sicut obe-
diimus Moysi,* non sunt prolatæ à toto populo, sed tan-
tum à Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribu Manasse. Nec illi voluerunt dicere, quod vellent obediare Iosuæ
in omnibus simpliciter, in quibus Mosi obediuerant

(tametsi

(nametsi sepe huic obmurmurarint, & non obedierint) sed in ijs tantum, quæ à Mose circa illos cōstituta erāt; nimirū, vt relictis vxoribus, filijs, ac iumentis in eo loco, in quo tūc erant, ipsi armati cum reliquis tribubus transirent Iordanē, & pugnarent contra hostes, donec ijs debellatis, reliquæ tribus haberent quietā ibi possessionē. Hoc patet ex contextu, qui sic habet; *Rubenit̄is quoque & Gaditis, & dimidia tribui Manasse ait: Mēmentote sermonis, quē præcepit vobis Moses famulus Domini dicēs: Dominus Deus vester dedit vobis requiē & omnem terram. Vxores vestræ & filij, ac iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moses trans Iordanem. Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiē fratribus vestris, sicut & vobis dedit, & possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis: & sic reuertimini in terram possessionis vestræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moses famulus Domini trans Iordanem contra Solis ortū.* Vnde, quod immediate sequitur (*Omnia, quæ præcepisti nobis faciemus, & quocunque miseric, ibimus: sicut obediuiimus in cūctis Moysi, ita obediemus & tibi.*) refertur ad illa, quæ præcesserunt. At in ijs, quæ præcesserunt, nulla fit mentio rerum Ecclesiasticarū, sed tantum belli suscipiendi contra hostes, qui terram inhabitabant.

29. Igitur ex hac patte, vt vides, corruit tuū argumentum, & ex falso principio procedit. Ex altera parte, qua agitur de Regibus gētilibus & idololatriis, non video, quam vim habeat. Nam tres illi Reges, quos citasti, vel ex tua sententia, fuerunt Primates Ecclesiæ Dei, vel non fuerunt. Non dices fuisse, quia non semel contrarium assertis in *Tortura tua*. Et merito; quia qui extra Ecclesiam Dei sunt, non possunt esse in ea Principes & gubernatores. Si ergo non fuerunt Primates Ecclesiæ, sicut reuera non fuerunt; quomodo illorum exem

exemplo probare vis , Regem Angliæ esse primatem Ecclesiæ? Hoc solū video te posse efficere, quod sicut Iudæi non audebant egredi ex Ægypto, vt Deo sacrificarent, sine venia Pharaonis, qui illos suo iugo crudeliter subiecerat ; sic etiam Catholici, qui in Anglia sunt , non ausint egredi ad loca Catholica , vt ibi Eucharistiam Catholico ritu suscipiant , nisi impetrata venia à Iacobo Rege , qui id sine sua voluntate non vult fieri, sub pœna carceris aut capitis. Et sic deinceps. Sed quid hoc ad Primatum Ecclesiæ? Potius ad tyrannidem, vel impietatem spectare dixerim.

Epilogus.

HAbes breuiter, quid mihi visum sit de tuo libro, quem pro Rege scripsisti. Habes , inquam , hæc tria puncta. Primo, quod sæpe, non tam argumentis, quam conuijjs rem gesseris. Secundo , quod omnia Paradoxis ac falsis opinionibus fœdaueris. Tertio, quod Primatum Regis, quem astraruere voluisti, euerteris potius, quam firmaueris. Et hæc omnia ex studio adulandi Regi, orta sunt. Igitur si hoc studium reprefseris , & solam rei veritatem spectaueris , facillimum erit, priora vitia emendare. Quod ut facias, omnino tibi author sim. Facies autem, si Deum, qui prima veritas est, præ oculis habebis.



OPVSCVLVM X.
DE PVRGATORIO
CALVINISTARVM.

LECTORI.

Damus tibi, beneuole Lector, tractatum de Purgatorio Calvinistarum: Nec est, quod queras, cur potius de Purgatorio, quam de cœlo Calvinistarum, à nobis disputatum sit. Due cause in promptu sunt. Prior, quia vetus verbū est, Qui, quod vult, dicit; quod non vult, audit. Calvinista multa hac tenus per calumniam dixerunt de Purgatorio Papistarum. Audiat nunc vicissim de suo Purgatorio, etiam quæ nolint. Posterior, quia tutius est de certis, quam de ambiguis differere. In Caluino habemus certa principia, ex quibus Calvinistarum Purgatorium astruamus, ut patebit. At nihil certi habemus de cœlo & cœlesti gloria. Tametsi enim sæpe agat de hoc puncto Caluinus, nusquam tamen sibi constat. Et, ut semel dicam, triplex illius de unare sententia est. Prima, quod stultum ac temerarium sit, inquirere, an sancti sint in cœlo, & cœlesti gloria. Altera, quod omnino sint in cœlo, & cœlesti gloria. Tertia, quod exspectent cœlestem gloriam, usque ad diem iudicij.

Primam tradidit lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. his verbis; Valde se torquent multi disputando, quæ locū occupent, & an cœlesti gloria fruantur, nec ne. At qui stultū & temerariū est de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat. Et paulo post; Omnia tenentur suspensa, donec Christus appareat Redemptor.

Alterum

Alteram tradit in Psychopannysicha, ubi explicans illa verba Apostoli 1. Corinth. 5. 1. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus in cœlis, &c. sic habet; Hæc verba sine interprete loquuntur, nos sensuros Dei præsentiam, cum ab hoc corpore separabimur: iam non per fidem ambulaturos, sed per speciem. Et ibidem; Electi Dei, qui ex hac vita transierunt, Deo fruuntur ad satietatem; citra fastidium. Et iterum. In cœlesti Ierusalem, Deus pacis dat se videntum suis pacificis, iuxta Christi promissum. Et in c. 1. epist. ad Philip. Paulus apertè testatur, nos frui Christi præsentia, cum dissoluimur. Et in c. 5. posterioris ad Corinthios; Nihil melius, quam migrare à corpore, ut perueniamus ad Dei contubernium, & illius præsentia verè palamque fruamur.

Tertiam, quæ huic planè contraria est, tradit lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. his verbis. Scriptura vbique iubet pédere ab exspectatione aduentus Christi, & gloriæ coronam eosque differt. Et ibidem; Animæ piorum, militiæ labore perfundæ, fruitionem promissæ gloriæ exspectant. Propter hanc Caluini de cœlesti gloria inconstantiam, nihil ausus fui definire de cœlo Caluinistarum, quia videban rem planè incertam & ambiguam esse. At de Purgatorio, ut dixi, certiora quedam principia in Caluino reperi, quæ ad plura inuestiganda viam mihi pararent. His principijs, ut potui, usus sum. Vellim, Lector, aquibonique consulas: Et si ita vis, iis ipsis, quæ à me potius inchoata, quam perfecta sunt, cum per otium licebit, aliquid ex tuo peniu adjicias.

DE PURGATORIO CALVINISTARVM.

Constat Caluinistas (saltem suo ipsorum iudicio) non habere infernum , quia omnes sunt prædestinati & electi ad vitam æternam , ut ipsi fatentur . Quæstio est , an habeant Purgatorium ? Quando nobiscum agunt , vel disputant , videntur omnino negare . Sed astutè , ut animaduerto . Negant enim Papisticum purgatorium , non Caluinisticum . At quodnam hoc est ? hactenus ipsi strenue dissimulant . Et sicut occulta ac inuisibilis est eorum Ecclesia ; sic occultum volunt esse suum purgatorium . At ego , quantum in me erit , in lucem illud producam , ut ab omnibus cognosci possit , idque per sequentia capita hoc ordine ,

1. An Caluinistæ habeant aliquod Purgatorium post hanc vitam ?
2. Vbi locorum illud sit ?
3. Quomodo differat à nostro Purgatorio ?
4. Quid agant ibi Caluinistæ ?

Argumentum hoc nouum est , quia Caluinistæ noui . Nec aliunde commodius , quam ex ipso Caluino , & Caluinistarum fundamentis tractari id potest . Ergo in eo laborandum mihi est , ut quidquid in medium allaturus sum , ex ipsis Caluini & Caluinistarum consensu confirmari possit . Quod etiam spero me effecturum . Iudicium esto penes letorem .

C A P . I.

An Caluinistæ habeant Purgatorium ?

1. **D**eo certè sunt apud Caluinum , & consequenter apud Caluinistas , qui illius doctrinam sequantur

sestantur. *Vnum est*, animas iustorum in Veteri Testamento non statim post hanc vitam migrasse in cœlū, sed delituisse in quodam carcere, & exspectasse aduentum Christi Redemptoris. *Alterum*, nec animas iustorum in nouo Testamento (id est , Caluinistatum) in cœlum admitti, sed procul in atrio quodam residere usque ad consummationem sacerdorum.

2. Piorem partem expresse docet Caluinus in libello , qui inscribitur Psychopannychia , vbi sic habet; *Nec minus evidenter Apostolus Petrus, animas à morte & esse, & viuere ostendit, cum tradit Christum his, qui in carcere erant, spiritibus praedicasse: nec spiritibus modo piorum remissionem ad salutem ; sed impiorum quoque spiritibus confusionem.* Hic ingenuè fatetur, piorum animas fuisse in illo carcere, ad quem Christi anima post passionem descendit. At carcer ille, non potuit esse infernus damnatorum, nisi dicamus piorum animas damnari, quod absit; nec potuit esse cœlum, nisi dicamus cœlum in scriptura vocari carcerem , quod haec tenus inauditum est. Necesse igitur est fuisse aliquem locum distinctum à cœlo & inferno ; de quo Caluinus ibidē subdit; *Nec verò miretur quisquam, includi carcere sanctos Patres, qui redemptionem Christi exspectabant.* Hoc videatur addidisse propter quosdam Nouatores, qui mirantur illum carcerem ; & putant nihil restare post hanc vitam, nisi cœlum & internum.

3. Posteriorem partem docet idem Caluinus lib. 3. Inst. cap. 20. §. 20. cum ait, *Intelligimus Christum sic apparere coram facie Dei, ut mortis eius virtus ad perpetuam pro nobis intercessionem valeat: sic tamen, ut sanctuarium cœli ingressus, ad consummationem usque seculorum, solus populi eminus in atrio residentis vota ad Dœum deferat.* Quid clarius? Affirmat solum Christum ingressum esse sanctuarium cœli; reliquos eminus in atrio residere, & inde

& inde eorum vota , vsque ad consummationem sæculorum , à Christo ad Deum Patrem deferri.

4. Hinc rectè concludimus , ex sententia Caluini , animas iustorum noui Testamenti , id est , Caluinistarū , post hanc vitam , in atrio , quod è cœlo remotum sit , non in ipso cœlo commorati . Nunc ergo disquirendum est , an purgentur in hoc atrio à suis peccatis ? vel , quod eodem recidit , an hoc atrium sit purgatorium Caluinistarum ? Hoc ex alia quæstione decidēdum est , nempe , an animæ Caluinistarum ex hac vita decedant cum aliquo reatu culpæ vel pœnæ , à quo prius purgari debeant , quām ad cœlum admittantur ? Affirmantem partem ostendo ex his fundamentis .

I. Fundamentum Purgatorij Caluinistici .

5. Primum fundamentum sumitur ex definitione peccati originalis quæ est huiusmodi ; *Peccatum originale est prauitas naturæ , hoc est , cæcitas mētis , & auersio voluntatis & appetitionum omnium à Deo , cum reatu mortis æternæ , ex lapsu primorum parentum iusto Dei iudicio , in omnes homines naturaliter transiens , quia omnes in uno peccarunt . Ita Dauid Pareus Caluinista in suis thesibus de peccato , thesi : 8.*

6. Ex qua definitione tria colligimus . Primò , totam naturam humanam esse corruptam & depravatam in Caluinistis . Secùdò , hanc depravationem potissimum consistere in cœcitate mentis , & auersione voluntatis & appetitionum omnium à Deo . Tertiò , huic depravationi annexum esse reatum æternæ mortis .

7. Hæc omnia sumpta sunt ex Caluino , l. 2. Inst. c. 1. §. 8. vbi inter cætera sic ait , *Videtur ergo peccatum originale , hereditaria naturæ nostræ prauitas & corruptio , in omnes animæ partes diffusa , quæ facit reos iræ Dei . Et ibidem . Omnibus naturæ nostræ partibus vitiati ac peruersi*

sumus. Et iterum; Ob talēm dūtaxat corruptionem, dannati merito conuictique corā Deo tenemur. Et infra; Ab Adamo non sola in nos pœna grassata est, sed instillata ab ipso lues in nobis residet, cui iure pœna debetur. Et §. 9. Quamobrē dixit, cunctas animæ partes à peccato fuisse possessas. Et infra; Nihil à mortifera eiustabe purum est, aut syncerum. Et denique; Hic tantum breuiter attingere volui, totum hominem quasi diluicio à capite ad pedes sic fuisse obrutum, ut nulla pars à peccato sit immunis.

II. Fundamentum.

8. Secundum fundamentum est, hoc ipsum peccatum originale, prout definitum iam est, manere in Calvinistis, quamdiu in hac vita degunt, neque tolli per Baptismum, aut alia Sacra menta. Ita Caluinuslib. 2. Inst. c. 1. §. 8. cū ait; *Hæc peruersitas nunquam in nobis cessat.* Et l. 4. c. 15. §. 10. *Iam perspicuum est, quam falsum sit, quod docuerunt pridem nonnulli, per Baptismum solui nos & eximi ab originali peccato.* Et in Antidoto Concilij Tridentini sess. 5. *Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum extinguitur.*

9. Hinc rursus tria colligimus. Primò Calvinistas, quamdiu in hac vita degunt, habere naturam corruptā & depravatā. Secundò, esse cæcos mente, & voluntate auersos à Deo. Tertiò, esse reos æternæ mortis. Hæc omnia patent ex definitione superius allata. Ad do ex verbis Caluini, *Esse omnibus naturæ partibus vitiosos ac peruersos: nihil habere purum à mortifera peccati labore: à capite usque ad pedes, quasi diluicio esse obrutos.* Vno verbo: in Calvinistis, quamdiu hic viuunt, manere culpam peccati originalis & reatum mortis æternæ. Hæc clara sunt ex dictis. Vide disputationem nostram de Authoritate peccati c. 4. ubi hæc fusius explicantur.

III. Fundamentum.

10. Tertium fundamentum est, omnia Caluinistarum opera vitiari & contaminari ex contagione peccati originalis, quod semper in ipsis manet in hac vita; ac proinde omnia ipsorum opera esse inquinamenta, sordes, & meram iniquitatem. Ita Caluinus in Antidoto Concilij Trident. sess. 6. cap. 16. ubi sic habet; *Vitiositas* (peccati originalis) que in nobis inheret, deformat coram Deo, quicquid à nobis operum prodit. & lib. 3. Inst. cap. 12. §. 4. Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes: & que iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas. Et c. 14. §. 9. Habemus ne unū à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, nō mereatur iusta opprobrij mercedē. Et c. 15. §. 3. Nihil ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Similia habet Plessaeus Caluinista lib. 3. de Eucharistia, c. 12. pag. 616.

11. Ex dictis sequitur, Caluinistas, quamdiu in hac vita sunt, triplici titulo immundos & inquinatos esse. Primò, ratione naturæ, quæ tota in ipsis corrupta & depravata est, ut suprà ex Caluino & Pareo ostendi. Secundò, ratione intellectus, voluntatis & aliarum animæ potentiarum, quæ omnes à peccato possesse sunt, ut verbis Caluini utar. Tertiò, ratione operum, quæ qualiaunque sint, nihil aliud, quam sordes, inquinamenta, & mera iniquitas sunt, ut idem Caluinus fatetur.

IV. Fundamentum.

12. Quartum fundamentum est, nihil immundum aut inquinatum intrare in regnum cœlorum, iuxta illud Apoc. 21. 27. Non intrabit in eam (ciuitatem cœlestem) aliquid coquinatum, aut abominationem faciens & mendacium. Cum enim ciuitas illa sit aurum mundum:

& fundamēta eius omni lapide precioso ornata, vt loquitur ibidem Apostolus; æquum est, vt nemo nisi mundus & lotis pedibus ingrediatur. Hoc sensu qui in cœlo sunt, dicuntur esse amicti stolis albis, propter cādorem & puritatem, iuxta illud Apoc. 7. 13. *Hi qui amici sunt stolis albis qui sunt, & unde venerunt?* Et respondeatur; *Hi sunt, qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni:* ideo sunt ante thronum Dei. Eodē spectat illud Ephes. 5. 27. *Vt exhiberet sancti gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata.* Vbi Apostolus loquitur de Ecclesia in cœlis triumphante; de qua intelligi potest & illud Cant. 47. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Aſtruitur Purgatorium Caluinisticum.

13. Ex his fundamentis sic concludo; Nullus immundus & inquinatus potest intrare in regnum cœlorum, nisi prius purgetur, & mundetur: atqui Caluinistæ, quamdiu hic viuunt, sunt immundi & inquinati propter peccatum originale; & omnia illorum opera, sunt inquinamenta, sordes, & mera iniquitas, vt ex dictis patet: Ergo non possunt intrare in regnum cœlorum, nisi prius purgentur & mundentur. Non purgantur autem in hac vita, quia semper hic manet obnoxij peccato originali: Ergo si salvi esse velint, post hanc vitam purgari necesse est. Ergo datur aliquod Purgatorium pro Caluinistis post hanc vitam.

14. Non video, quomodo vim huius argumenti enervare possint Caluinistæ, si sua principia, ex quibus hoc deductum est, tueri velint. Nam si peccatum originale manet in ipsis, quamdiu hic viuunt, non possunt ab eo, nisi post hanc vitam, purgari, vel ergo tunc purgantur, vel non. Si purgantur, purgatorium habent,

quod

quod contendimus. Si non purgantur, excluduntur à cælo, quod ipsi nolunt.

15. Mihi tamen occurrunt tria effugia, quæ in ipso-
rum gratiam probabiliter excogitari possunt. Primum
est, si dicant, se non quidem in hac vita, ut benè ex Cal-
uinii principiis probatum est; nec etiam post hanc vi-
tam, sed in ipso mortis articulo, & quasi per ipsam mor-
tem purgari à peccato originali, & sic vltiori purga-
torio non opus esse. Sanè si res ita haberet, beati essent
Caluinistæ. Sic enim nec indulgentiis Pontificis, nec
sacrificio Missæ, nec aliis viuētium suffragiis indigerent.
At non possunt mihi persuadere, per solam mortē pur-
gari ipsos ab omni culpa & reatu pœnæ æternæ. Nam
si mors haberet hanc vim, non soli Caluinistæ, sed om-
nes omnino homines mundarentur à suis peccatis per
mortem, & sic omnes salui fierent. Hoc autem falsum
est: Ergo mors non habet hanc vim purgandi. Ergo
præter mortem opus est alio purgatorio, ut recte ex
Caluino ostensum est.

16. *Dices:* Per mortem tollitur concupiscentia car-
nis, in qua potissimum consistit peccatum originale.
Nam quando anima separatur à corpore, iam non am-
plius caro concupiscit aduersus spiritum, neque spiri-
tus aduersus carnem: Ergo tūc anima libera est ab om-
ni contagione peccati originalis. *Respondeo*, si hoc ar-
gumentum valeret, sequeretur omnes homines per
mortem purgari à peccato originali, quia in omnibus
tollitur concupiscentia carnis, & illa lucta, quæ inter
carnem & spiritum esse solet. Quid ergo priuilegiū ha-
berent Caluinistæ? Addo, falsum esse in sententia Cal-
uinii, peccatum originale consistere in sola concu-
piscentia carnis. Consistit potissimum in cæcitate
mentis, auersione voluntatis à Deo, & reatu pœnæ
æternæ, ut supra ex Caluino & Pareo ostensum est.

At per solam mortem non tollitur cæcitas mentis, auersio voluntatis à Deo, & reatus pœnæ æternæ. Ergo, si tollitur, post mortem tolli necesse est in Purgatorio.

17. Alterum effugium est, si dicant, peccatum originale tolli in ipsa morte piorum Caluinistarum, non quod ipsa mors secundum se, sed potius quod fides & patientia morientium, hanc vim tollendi peccata habeat. Sed neque hoc credibile est. Primo, quia sine ullo fundamento asseritur. Probent ipsis ex Scriptura (ex qua omnia sua probari volunt) hunc effectum promissum esse fidei morientium. Addo, saepè fieri, ut in articulo mortis nullus sit actus fidei; quia vis morbis saepè tanta est, ut omnem rationis & intelligentiae usum absorbeat. Et sanè, si fides morientium, cur non similiter viuentium, præstare id possit? Aut cur non potius in baptismo id frat, in quo & fides excitatur, ut ipsis dicunt, & qui ad hunc finem à Deo institutus est? Et quæ hæc temeritas est, negare, peccatum originale tolli per baptismum, quod Scriptura & Patres affirmant; & affirmare, tolli per fidem morientium, quod Scriptura & Patres nunquam insinuarunt?

18. Tertium effugium est, si dicant, non opus esse tolli peccatum originale, sed sufficere, quod non imputetur. Non imputari autem fidelibus, qui ad vitam æternam prædestinati sunt, in quorum numero sunt Caluinistæ. Sed si hoc dicunt, consequenter fateri debent, à Caluinistis non tolli cœcitatem mentis, auersionem voluntatis à Deo, & reatum pœnæ æternæ. An ergo dicendum est, Caluinistas, quando in cœlo erunt, fore cœcos mente, auersos à Deo, & reos pœnæ æternæ; tametsi hoc ipsis non sit imputandum? Præclaris cœlestes. Et facile credam, eiusmodi minimè inuocandos esse. Quis enim patrocinium petat ab iis, qui i

propter cæcitatem non percipiunt, quid ab ipsis petatur? aut quis apud Deū cupiat habere eos intercessores, qui tota voluntate à Deo alieni sunt? Nemo sanus.

19. . Ex dictis concludo hoc modo; Caluinistæ nec in hac vita, nec in articulo mortis purgantur à peccato originali, ut probatum est: Ergo vel nunquam purgantur, & sic salvi esse non possunt; vel necessario post hanc vitam purgantur, & sic post hanc vitam habent Purgatorium. Et hoc apertè fatetur Caluinus lib. 3. Institut. cap. 25. §. 7. vbi ita scribit; *Æquè prodigiosus est eorum error, qui animas non recepturas, quibus nunc induitæ sunt, corpora, sed nouis & aliis præditas fore imaginantur. Ac Manichæorum quidem per quam futilis ratio fuit, minimè consentaneum esse, ut caro, quæ immunda est, resurget. Quasi vero nullæ sint animarum immunditiae, quas tamen à spe cælestis vita non arcebant. Perinde igitur fuit, ac si dicerent, purgari diuinitus non posse, quod peccati labefactum est. Nam illud delirium, quod naturaliter immunda esset caro, quia à Deo creata, nunc prætereo, tantu ostendo, quicquid nunc cælo indignum in nobis est, resurrectioni non obstat. His verbis describit & refutat Caluinus errorem Manichæorum, qui dicebât, animas fidelium in resurrectione non reddituras ad eadem illa corpora, quæ in hac vita habuerunt, sed ad alia. Ratio illorum erat, quia corpora, quæ hic habuerunt, sunt immunda: at nihil immundum resurget ad vitam æternam. Eos refutat tali argumēto; Non solum corpora, sed etiam animæ fidelium (Caluinistarum) sunt immundæ: at qui immundities animarum non obstat resurrectioni, quia animæ, quæ peccati labefactæ sunt, possunt purgari ante resurrectionem: Ergo nec immundities corporum obstat potest, quia & corpora diuinitus purgari possunt. Ex hoc Caluni discursu manifeste patet fateri ipsi, animas labi peccati infectas,*

purgari post hanc vitam ante resurrectionem, & sic ad cælum admitti posse. Fatetur ergo, Purgatorium esse, quod etiam supra ex ipsius fundamentis probatū est. At vbi illud sit, & quale, deinceps inuestigare oportet.

C A P V T I I.

Vbi sit Purgatorium Caluinistarum.

1. **S**icut ex Caluino didicimus, Purgatorium esse; sic ex ipso querendum est, vbi sit. Ac primum expendenda sunt ipsius verba, quæ supra à me citata, sic habent; *Intelligimus Christum sic apparere coram facie Dei, ut mortis eius virtus ad perpetuam pro nobis intercessionem valeat; sic tamē, ut sanctuarium cæli ingressus, usque ad consummationem sæculorum solus populi eminus in atrio residentis vota ad Deum deferat.* Ex his verbis tria colligo, quæ ad rem faciunt. Primo, solum Christum ingressum esse sanctuarium cæli. Secundo, Caluinistas in atrio residere usque ad consummationem sæculorum. Tertio, hoc atrium à cælo remotum esse. Id enim significat illa particula, *eminus*. Igitur ex mente Caluini, Purgatorium seu atrium Caluinistarum, ut ipse vocat, longè distat à sanctuario cæli. Sicut locus ille, in quo diuēs epulo sepultus est, longè distat à sinu Abrahæ, iuxta illud Luc. 16. 26. *Magnum chaos firmatum est inter nos & vos, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint; neque inde huc transirent.*

2. Porro, vbi præcisè sit illud atrium seu Purgatorium Caluinistarum, quod longè à cælo distat, non audit, vel potius non vult Caluinus definire. Mallet silentio occultari. Sic enim loquitur lib. 2. Instit. cap. 25. §. 6. *De intermedio earum (animarum) statu, curiosius inquirere, neque fas est, neque expedit.* Valde se torquent multi dispe-

disputando, quem locum occupent, & an cœlesti gloria fruantur, necne. Et infrà; Interea cum scriptura ubique iubeat pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloria coronam eousque differat; contenti simus his finibus diuinitus nobis prescriptis, animas piorum militie labore perfuntas, fruitionem promissæ gloriae expectare: atque ita omnia teneri suspensa donec Christus appareat Redemptor. Vides, opinor, Caluinum hanc quæstionem, qua queritur de loco Purgatorij, tanquam curiosam reiicere, de qua nec fas sit, nec expedit multa disputare. Satis esse, si constet animas piorum Caluinistarum non esse in cælo, sed in aliquo alio loco, tametsi nobis incognito; neque frui cœlesti gloria, sed eam expectare usque ad Christi aduentum. Tunc primum fore manifestum, quid de iis futurum sit: interea omnia incerta ac suspensa esse.

3. Videamus tamen, (non obstante hac Caluini denunciatione,) an locum illum incognitum, in quo piorum Caluinistarum animæ purgantur, & quem ipse occultare vult, possimus inuestigando reperire. At ubi de eo inquiremus? Nusquam tutius, quam in scriptura. Caluinistæ, ut quidem ipsi præ se ferunt; nullum dogma, nisi ex scriptura, asserere & confirmare solent. Igitur, ut rem expediamus, ex scriptura constat, varia esse animarum loca post hanc vitam. Primus est cælum, in quo Angeli sunt, Matth. 22.30. Sunt sicut Angli Dei in cælo. Secundus est infernus, in quo diues epulo sepultus est, Lucæ 16.22. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Tertius est sinus Abrahæ, in quem anima Lazari ab Angelis deportata est, Lucæ 16.22. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Quartus est Paradisus, in quem latro admissus fuit, Lucæ 23.43. Hodie mecum eris in Paradiſo. Quintus est lacus sine

aqua, in quo antiqui Patres detinebantur, Zachar. 9.
 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinculos
 tuos de lacu, in quo non est aqua. Sextus est carcer, in
 quem Christus post mortem descendit, 1. Petri 3.13.
In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus, veniens praedicauit. Septimus est sub altari, ubi animæ Martyrum
 requiescere visæ sunt, Apocal. 6.9. *Vidi subtus altare animas intersectorum propter verbum Dei.*

4. In quo igitur horum locorum quærendæ sunt
 animæ Caluinistarum post hanc vitam? An in cælo?
 Ego quidem id vellem. Sed reclamat Caluinus. Solum Christum vult esse in cælo; Caluinistas in atrio
 expectare usque ad consummationem sæculorum. Et
 ratio illi fauet. Nihil enim immundum & inquinatum
 intrare potest in cælum, nisi prius purgetur. At
 animæ Caluinistarum sunt immundæ & inquinatae
 peccato originali: Ergo prius purgari debent. Non
 purgantur autem in hac vita, ut supra ostensum est;
 Ergo post hanc vitam purgari debent alicubi, antequam
 cælum ingrediantur. At hunc ipsum locum, in
 quo purgantur, inuestigamus.

5. An ergo sunt in sinu Abrahæ? Benè profectò
 cum ille ageretur, si ibi essent. At non esse ibi, valde
 probabile est; quod dupliciter ostendo. Primo, ex ipsorum
 concessione. Nam David Pareus Caluinista in
 cap. 10. ad Hebr. v. 20. contendit, per sinum Abrahæ
 intelligi cælum. At animæ Caluinistarum non sunt in
 cælo, ut Caluinus concedit: Non ergo sunt in sinu
 Abrahæ. Deinde accedit ratio; quia nemo est in sinu
 Abrahæ, nisi qui imitatur fidem Abrahæ. Hoc non fa-
 ciunt Caluinisti: Non ergo sunt in sinu Abrahæ. Mi-
 norem sic probo; Abraham credidit Deo, non solum
 ea, quæ ipse possibilia, sed etiam, quæ impossibilia vide-
 bantur; ut quod esset genitus filium, cum nec ipse,
 nec

nec vxor eius Sara propter senectutem , apti essent ad procreandam sobolem. At Caluinistæ solùm credunt ea , quæ ipsi possibilia , non autem quæ videntur impossibilia. Non enim credunt corpus Christi simul esse in duobus locis ; quia hoc impossibile illis videtur , non ergo imitantur fidem Abrahæ. Hoc clarius sic ostendo , Christus dicit Caluinistis ; *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus.* Illi contra disputant; Impossibile est , idem corpus simul esse in diuersis locis: sed corpus Christi est in cœlo : Ergo non simul potest esse in altati. Non sic Abraham. Dicebat illi Deus; *Ha-bebis filium ex Sara.* Si Caluinista fuisset , statim occurrisset in hunc modum. Impossibile est , vt coniuges effæti , & senio confecti , generent filium : At ego & vxor mea , sumus effæti & senio confecti. Ergo impossibile est , vt generemus filium. Non sic , inquam , argumentatus est Abraham. Quid ergo ? Audi , quid de eo dicat Apostolus Rom. 4.19. *Non infirmatus est fide , nec considerauit corpus suum emortuum , & emortuam vulnus Saræ.* In re promissione etiam Dei non habitanit diffidentia; sed confortatus est fide , dans gloriam Deo , plenissime sciens; quia quæcumque promisit , potens est & facere. Hæc nullo modo quadrant in Caluinistas. Concludo igitur; quia fidem Abrahæ non imitantur , non posse post hanc vitam esse in sinu Abrahæ.

6. An forte sunt in Paradiso ? Legimus quidem Henoch eò translatum esse , Eccl. f. 44. 16. *Henoch placuit Deo , & translatus est in paradisum.* Legimus etiam Apostolum aliquando ibi fuisse. 12. Corinth. 12. 4. *Rapptus est in paradisum , & audierat arcana verba , quæ non licet homini loqui.* Denique latroni dictum est; *Hodie mecum eris in paradiſo.* An etiam Caluinistæ post hanc vitam ibi sunt ? Facile credam , ipsos id affirmare. Hoc inde colligo , quia non ita pridem libellus à Catholicis

scriptus & diuulgatus est, in quo Lutheranis & Caluinistis proponebantur tres quæstiones, quarum una erat hæc; An ipsi ex suo numero, haberent omnino aliquem, quem constaret esse saluum & beatum? Nemo aliis, post longam disquisitionem ipsis occurrit, nisi latro. Hunc ergo nominandum censuerunt. Constat autem latronem esse in Paradiso. Eundem ergo locum post hanc vitam sibi ipsis pollicentur. Sed valde metuo, ne errant. Imò, apertè errant, si Caluinii principia sequantur. Caluinus enim in cap. 12. posterioris ad Corinth. per Paradisum intelligi vult cælestem gloriam. Animæ autem Caluinistarum nō sunt in cælesti gloria, ut testatur idem Caluinus lib. 3. Instit. c. 25. §. 6. vbi docet eas usque ad diem iudicij, cælestem gloriā expectare. Ergo iam non possunt esse in Paradiso.

7. An igitur sunt in lacu (de quo Zacharias loquitur) in quo non est aqua? Hoc definiri non potest, nisi prius constet, quid per lacum intelligatur. Catholici aut limbum antiquorum Patrum, aut certè nostrum purgatorium intelligi putant. Quod si res ita habet, nullo modo dicendum est, animas Caluinistarū post hanc vitam esse in lacu; quia Caluinus, tam limbum, quam nostrum purgatorium, nihil aliud quam fabulam esse vult. Apud Caluinistas inuenio tres opiniones de hac re. Prima est, per lacum intelligi *profundos inferos*. Ita Caluinus lib. 3. Instit. cap. 16. §. 9. Altera est, intelligi seruitutem peccati. Ita Plessæns lib. 3. de Eucharistia, cap. 7. pag. 433. Tertia est; intelligi *captiuitatem Babyloniam*. Ita Matthæus Sutliuius in lib. de Purgatorio contra Bellarm. c. 14. pag. 137. Igitur tota quæstio versatur in his tribus punctis. Primò, an animæ Caluinistarum post hanc vitam sint in profundis inferis? De quo postea. Secundò, an sint in seruitute peccati? Nihil certius, secundum principia Caluinii hactenus tradita.

Decedūt enim ex hac vita cum peccato originali , id est, cum cæcitate mentis , auersione voluntatis à Deo, & reatu mortis æternæ. Hinc tamen propriè non satifit nostro instituto; quia non disputamus de statu peccati, in quo sunt animæ Caluinistarum, cum de eo sat is constet, sed de loco, in quo purgari possint à peccato. Tertiò, an sint in captiuitate Babylonica? Secundum sensum literalem non sunt ; quia captiuitas illa multis iam seculis præteriit; & omnino finita est. Sunt tamen secundum sensum mysticum; quia sunt in servitute peccati, ut dictum est. Hæc autem seruitus optimè designatur per captiuitatem Babylonicam , ut factentur auctores citati.

8. Quid si in carcere sint, in quo Christus predicauit spiritibus priorum & impiorum, ut explicat Caluinus ex Apostolo Petro? Hic Caluinus omnino tergiuersatur. Imò sibi ipsi contrarius est. Nam lib. 2. Inst. c. 16. §. 9. de hoc ipso carcere sic scribit: *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.* At in Psychopannychia, multò aliter: *Nec verò, inquit, miretur quisquam includi carcere sanctos Patres, qui redemptionem Christi expectabant.* Num irum priori loco oppugnat Catholicos, qui illum carcere admittunt ; posteriori , Anabaptistas, qui illum negant. Igitur, si Catholici querant ex Caluino, an animæ priorum Caluinistarum post hanc vitam carcere concludantur ? respondebit : *Concludere in carcere mortuorum animas puerile est.* Si autem Anabaptistæ interrogent; an animæ priorum carcere includi possint; occurret hoc modo , *Nec verò miretur quisquam includi carcere sanctos Caluinistas, qui adventum Christi expectant.* Hæc ex Caluino. Quod ad rem attinet, puto Caluinistas non esse in isto carcere, de quo Petrus loquitur. Verba enim Petri sunt hæc ; *In quo & his, qui in carcere erant spiritibus, veniens predicauit, qui increduli fuerant*

fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca. Ex quibus sic concludo; illi tantum leguntur esse in isto carcere, qui tempore Noe fuerunt increduli: At Caluinistæ, suo certè iudicio, nec increduli sunt, nec tempore Noe vixerunt. Non ergo sunt in isto carcere.

9. Quid si expectent sub altari, de quo Ioannes loquitur in Apocalypsi? Nec id puto. Nam animæ, quæ leguntur esse sub altari, habent duas conditiones, quæ non conueniunt Caluinistis. Vna est, quod sint animæ imperfectorum propter verbum Dei. Altera, quod induitæ sint stolis albis. Neutra potest accommodari Caluinistis. Non prior, quia nec Caluinus, nec Beza, nec Iunius, nec similes alij, propter verbum Dei imperfecti sunt. Nō posterior, quia per stolam albam intelligitur beatitudo animæ: At animæ Caluinistarum non sunt beatæ, quia manent obnoxiae peccato originali, & expectant fruitionem gloriæ usq; ad consummationem sæculorum, ut supra ex Caluino ostendi.

10. Quid ergo? an apud inferos sunt? Non ausim affirmare. Sed tamē probabile est, triplici de causa. Primo, quia non sunt in cœlo, nec in sinu Abrahæ, nec in Paradiſo, nec in lacu aut carcere, nec sub altari; omnino necesse est, veleisse in inferno, vel dari alium locum præter enumeratos. At alium locum in Scriptura non innenio, nisi fortè Purgatorium Catholicorum, à quo abhorrent Caluinistæ. Ergo nihil reliquum est illis præter infernum. Secundo, quia Caluinus fatetur eos esse in atrio, quod lôgè distet à cœlo: At tale atrium est infernus, in quo diues epulo sepultus est, iuxta illud Luc.

16. 26. *Magnum chaos firmatum est inter nos & vos.* Tertio, quia si essent alibi, quā in inferno, Caluinus aperte id explicasset. Nunc autem effugium quaerit, & agrest fuit, nos curiosius inquirere & disputare de loco, in quo

quo piorum Caluinistarum animæ delitescant. *Quis ergo rem totam meritò suspectam non habeat?*

II. Atque hęc breuiter, veritatis indagandę causa à me disputata sint. Fortasse res fiet clarior, vbi Caluinistæ cœperint eam diligentius excutere & examinare; quod eos facturos omnino puto. Interea fixum illud sit, quod hačtenus probatum est, Caluinistas post hanc vitam habere aliquod purgatorium, vbiunque tandem illud sit: videri autem verisimile, esse in inferno. Deinceps, quale sit, videamus.

C A P. III.

Quomodo differat Purgatorium Caluinistarum à nostro?

1. **E**X ijs, quæ hačtenus dicta sunt, colligo magnum esse discrimen inter Purgatorium Caluinistarum & Catholicorum. Et quidem triplex. Primum est; Catholici, qui post hanc vitam eunt ad Purgatorium iam ante liberati sunt à peccato originali per baptismum, & à mortalibus per confessionem & pœnitentiam. Solùm manet in illis reatus pœnæ temporalis, & nonnulla peccata venialia, quę expiari debent. At Caluinistę portant omnia secum ad suum Purgatorium, nempe peccatum originale, mortalia, & reatum pœnæ æternæ. Indigent ergo fortiori Purgatorio.

2. Alterū est; Caluinistę manent in suo Purgatorio usq; ad consummationem sęculi, vt ex Caluno supra ostensum est. Catholici citius liberantur. Nam aliqui tantum manent paucis horis; alij certis diebus; nonnulli aliquot annis. Et ratio huius differentiæ duplex est. Prior, quia Catholici possunt iuuari indulgentijs & suffragijs viuentium. Vnde sit, vt quo pluravel paucio-

ra sunt pro illis suffragia, eo cæteris paribus, citius aut tardius liberentur. Caluinistæ respuunt huiusmodi præsidia, & tam generosi sunt, ut malint expectare usque ad Christi aduentum, quām à viuentibus opem implorare vel admittere. Posterior: quia Catholici nihil habent expiandum in Purgatorio nisi reatum pœnæ temporalis, & aliquot peccata venialia. Ergo quo quisque cum minori reatu pœnæ, & paucioribus venialibus accedit, eo citius liberatur. Caluinistæ vero, ut dictum est, non solùm ferunt secum peccatū originale & mortalia, sed etiam rearum pœnæ æternæ, qui brevi tempore expiari non potest. Debent igitur expectare aduentum Christi, & videre, si quid tunc solatiū habere possint, ne cogantur in æternum luere.

3. Tertium est; de Purgatorio Catholicorum, saltem apud Catholicos, multa certa sunt. 1. quod sit in loco subterraneo. 2. quod sit distinctum ab vitroque Limbo: altero antiquorum Patrum veteris Testamenti, altero parvulorum sine remedio decedentium. 3. quod sit distinctum ab inferno damnatorum. At Purgatorium Caluinistarum, quia recens est, nondum penitus perspectum esse potest. Solùm constat, remotum esse à sanctuario cœli. At ubi præcisè sit, non audet Caluinus definire. Nos tamen ostendimus probabile esse, non distingui ab inferno. Infernus autem est in loco subterraneo non procul à centro terræ. Itaque circa centrum terræ quærendi sunt Caluinistæ, qui migrant ex hac vita. Nisi nautæ Hollandi alium locum inueniant in Oceano septentrionali.

4. Sed occurrit hic difficilis obiectione. Nam id, quod hic dicimus, nō videtur posse consistere cum eo, quod in principio dictum est. Hic enim dicimus, probabile esse, Caluinistas habere suum purgatorium in inferno. At supra, in ingressu disputationis, dictū est, Caluinistas

nistas non habere infernum, quia omnes ad vitam æternam prædestinati sunt. Hæc inter se non cohærent. Vel igitur hic, vel ibi erratum est. *Hic nodus in sequenti capite dissoluendus est.* Eò Lectorem remittimus.

C A P. I V.

Quid agant Caluinistæ in suo Purgatorio?

1. **A**nihil agere, sed perpetuo quodam sopore, usque ad communem resurrectionem oppressas teneri. Hos redarguit Caluinus in *Psychopannychia*, & multis Scripturæ testimoniis ostendit eas semper aliquid agere, & minimè sopitas aut otiosas esse. Nunc ergo quæstio est, quid agant? Et speciatim id quæritur de animabus Caluinistarum, quæ in suo atrio seu Purgatorio usque ad consummationem sæculorum, ut Caluinus vult, mansuræ sunt. Non enim satis appetet, quibus negotiis, præsertim tanto temporis intervallo, distineri & occupari honestè possint.

2. Fateor hoc punctum explicatu difficultimum esse, sed tamen quia spectat ad perfectam cognitionem Purgatorij Caluinistici, prætermitti omnino non debet. Atque utinam Caluinus hoc ipsum paulo tractasset accuratius: minus certè studij ac laboris adhibendum nobis iam esset. Nūc contra res accidit. Vix quicquam habemus ex Caluno, nisi generalia quædam principia, ex quibus tamen, ut opinor, vtcunque res definiri poterit.

3. Sunt autem hæc Caluni principia. 1. animas Caluinistarum ex hac vita decedere cum peccato originali, id est, cum cæcitate mentis, auersione voluntatis à Dœo, & reatu æternæ mortis. 2. Expectare in suo

atrio, seu purgatorio ad cōsummationem sēculorum.
3. interea nihil certi eas habere de suo futuro statu, sed
omnia teneri suspensa vsque ad Christi aduētum. Hæc
omnia ex dictis patent.

4. Ex his principiis euidenter deduci possunt hæc
quinque corollaria. 1. animas Caluinistarum in suo
Purgatorio, multis falsis opinionibus ac erroribus per-
petuò deludi & distineri. 2. easdem nihil aut parum af-
fici ad res diuinas; ac potius toto affectu circa terrenas
& illicitas occupari. 3. peiori nunc esse conditione quā
fuerint in hac vita. 4. Imò detestari nunc illam fidem &
persuasionem, quam in hac vita habuerint. 5. Et quod
grauius est, de sua salute & prædestinatione desperare:
Hæc singula seorsim probo in hunc modum.

5. Primo; Sicut illi, qui oculis capti sunt, & cæcita-
te corporis laborant, non possunt lumen aspicere, nec
rectam tenere viam sed sæpè aberrant, & in foueas seu
præcipitia labuntur, iuxta illud Matth. 15. 14. Cæcus si
cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt: sic etiam
illi, qui laborant cæcitatem mentis, non possunt lu-
men veritatis aspicere, sed multis errorum tenebris
deludi necesse est Atqui animæ Caluinistarum in Pur-
gatorio laborant cæcitatem mentis, quia manent in pec-
cato originali, quod cæcitatem mentis includit, ut su-
pra dictum est ex Caluino & Pareo Ergo non possunt
lumen veritatis percipere, sed necessario multis errori-
bus & falsis opinionibus deluduntur. Sed quibus? Sine
dubio, iisdem ut plurimū, quibus in hac vita delu-
deabantur. Cuiusmodi sunt, se esse ones Christi, filios Dei,
certos de sua salute & prædestinatione; Ecclesiam Christier-
rare: Papam esse Antichristum; Deum authorem peccati;
Christum desperasse; Imagines è templis eliminandas, &c.

6. Secundo; Illi, quorum voluntas & omnes appe-
titiones à Deo auersæ sunt, non possunt bene affici ad
res

res diuinas, sed potius in terrenas & illicitas penitus immerguntur: Atqui voluntas & omnes appetitiones Caluinistarum in Purgatorio existentium, sunt auersæ à Deo, ratione peccati originalis, cui obnoxij sunt, & quod talem auersionem includit, ut supra dictum est: Ergo Caluinistæ in suo Purgatorio existentes non possunt benè affici ad res diuinas, sed potius in terrenas & illicitas immerguntur. In quas illas? in mendacia, conuicia, perfidiam, crudelitatem, odia, contentiones, similitates, dissidia. Hæc enim amarunt in vita sua; & ut dicit Scriptura, *opera eorum sequuntur ipsos.*

7. *Tertio;* Qui dubij & perplexi sunt de sua salute & prædestinatione, peiori conditione sunt, quam qui certi & securi: Atqui Caluinistæ in Purgatorio existentes, sunt dubij & perplexi de sua salute, iuxta tertium Caluini principium paulo ante positum: Et in hac vita fuerunt certi & securi, saltem suo ipsorum iudicio, ut in principio huius disputationis dictum est: Ergo nunc in Purgatorio sunt peiori conditione, quam in hac vita fuerint.

8. *Quarto;* Illi merito damnant ac detestantur suam fidem, & persuasionem, quam in hac vita habuerunt, qui aperte vident, se miserè pereā delusos ac deceptos esse, præsertim in re omnium grauissima. Atqui Caluinistæ in Purgatorio existentes, aperte vident, se miserè delusos ac deceptos esse per eam fidem ac persuasionem, qua in hac vita crediderunt se esse prædestinatos & certos de salute, cum nunc contrarium experiantur, & de tota re dubij ac perplexi sint. Ergo merito nunc detestantur suam fidem & persuasionem, quam in hac vita habuerunt. Et possunt dicere illud Sap. 5. 6. *Errauimus à via veritatis, & iustitiae lumē nō luxit, & sol intelligētiae nō est ortus nobis.* Hinc soluitur obiectio quæ præcedenti capite §. 4. posita est. Cum enim dicimus,

580 *De Purgatorio Caluinistarum.*
Caluinistas post hāc vitam habere suum Purgatorium
in inferno; id recte conuincimus ex eorum principiis.
Cum autem afferimus, eos non habere infernum, sed
omnes ad vitam æternam prædestinatos esse; id ex eo-
rum errore & falsa persuasione assertum esse volu-
mus.

9. *Quintò; Qui ex vna parte certò sciunt, neminem*
saluari posse sine vera fide; & ex altera, se in hac vita
non habuisse veram fidem, meritò de sua salute desperare
possunt: At qui Caluinistæ in Purgatorio existen-
tes, ex vna parte certò sciunt, se saluari non posse sine
vera fide; & ex altera, se in hac vita non habuisse veram
*fidem, sed inanem persuasionem de certitudine salu-
tis & prædestinationis. Ergo meritò possunt desperare*
de sua salute.

Sic igitur patet, quid agant Caluinistæ in suo atrio
seu purgatorio. Nimirum variis erroribus deluduntur;
à diuinis rebus omnino auersi ac alieni sunt; fidem &
persuasionem, quam in hac vita secuti sunt, penitus de-
testantur; & quod omnium molestissimum est, de salu-
te desperant.

OPVS

OPVSCVLVM XI.
DE TRIPLICI
SACRIFICIO,
NATVR AE,
LEGIS,
GRATIAE,
LIBELLI TRES.

1.  *A CRIFICIVM pertinet ad cultum Dei. Potest autem dupliciter Deus à nobis coli. Primo, per internum actum agnitionis, submissionis, charitatis, timoris, & reuerentiae; quod nobis commune est cum Angelis. Secundo, per externum actum laudis, prædicationis, adorationis voti, oblationis, sacrificij, quod homini proprium est. De hoc postremo cultu hic agimus, nempe de externo, qui exhibetur Deo per sacrificium. Is autem potest tripliciter spectari. Primo, nudè secundum se, quatenus nihil aliud est, quam externa quædam ceremonia, & sic non placet Deo. Secundo, quatenus cum interno cultu coniunctus est, siue quatenus procedit ex interna animi agnitione, submissione, reuerentia & amore erga Deum, tanquam creatorem, ac supremum Dominum omnium creaturarum, & sic vere, sacrificij rationem habet.*

2. *In hoc externo sacrificio, quatenus cum interno coniunctum est, debent hæc quinque spectari. 1. Minister. 2. Materia. 3. Forma. 4. Locus. 5. Finis. Minister non alius, quam Sacerdos est. Materia est res sensibilis seu externa, quæ offertur Deo. Forma consistit in de-*

structione vel mutatione rei oblatæ. Locus in quo fit destrucción vel mutatio, est altare. Finis potest esse quadruplex. 1. Recognitio seu protestatio supremi dominij, quod Deus in nos habet, & simul nostræ subiectionis & seruitutis erga Deum. 2. Gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis. 3. Nouorum beneficiorum impetratio. 4. Expiatio peccati, quod contra Deum commissum est. Cur enim honoramus & colimus Deum, offerendo illi externum sacrificium? Nimirum, ut testemur nos esse seruos Dei, cui omnia debeamus; ut hoc externo signo profiteamur, nos gratos esse pro acceptis ab eo beneficiis, ut declaremus, non ab alio, quam ab ipso, nos deinceps beneficia sperare & impetrare posse, ut si propter peccata nostra offensus est, eum placemus, & condonationem ac expiationem peccatorum ab eo obtineamus. Ex hoc quadruplici fine, solet distingui quadruplex sacrificium. 1. Latreuticum. 2. Eucharisticum. 3. Impetratorium. 4. Propitiatorium. De quibus plura in progressu.

3. Porrò, cum triplex hominum status spectari possit ab orbe condito ad nos usque, nempe, status naturæ, status legis Mosaicæ, & status gratiæ seu Euangelij, fit, ut etiam distinguantur triplicia sacrificia: alia Legis naturæ, alia Legis Mosaicæ, alia Legis gratiæ. De singulis hoc ordine agendum est.

1. *De Sacrificiis Legis Naturæ.*
2. *De Sacrificiis Legis Mosaicæ.*
3. *De Sacrificiis Legis Gratiae.*

Hoc tamen obiter præmoneo, quod infra latius explicandum est, omnia sacrificia Legis Naturæ & Legis Mosaicæ (quorum quidem mentio fit in Scripturis) fuisse figuræ seu umbras sacrificij illius, quod est in Lege Gratiae.



LIBER PRIMVS.

DE SACRIFICIIS LE-
GIS NATVRÆ.

PE R sacrificia Legis Naturæ debent ea intelligi, quæ ab Adamo usque ad Mosen oblata sunt, ante Legem scriptam, vel etiam post Mosen, apud eos, qui legem Mosaicam non acceperunt: siue ex solo naturæ instinctu oblata sint, siue ex peculiari Dei institutione. Huiusmodi sunt sacrificia Abel, Noë, Abraham, Melchisedech, Isaac, Jacob, Iob. Quibus annumerari potest Agnus Paschalis, qui ante legem scriptam offerri iussus est. De his singulis per totidem capita breuissimè differemus.

C A P V T I.

De sacrificio Abel & Cain.

1. **P**RIMI, qui in Scripturis leguntur sacrificiū obtulisse, sunt duo fratres Abel & Cain. De quibus ita scribit Moses, Genes. 4. 2. Fuit Abel pastor oviū, & Cain agricola: Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terra munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorū. Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit.

2. Hinc duo colligimus. Vnum est, Abelem obtulisse primogenitā sui gregis & adipem: Cain autem de

fructibus terræ. Hic enim agricola erat, ille pastor ouium. Alterum, Abeli oblationem fuisse Deo gratam, non autem Caini. Hoc enim significat illa particula: *Res pexit Deus ad Abel & munera eius, & perinde valet, atque illud Genes. 8. 21. Odoratus est Dominus odorem suavitatis.*

3. Sed occurunt aliquot quæstiones. Prima est, vnde Abel didicerit offerre Deo sacrificium in principio mundi? An ex Adamo, parente suo? Hoc fieri potuit; quia Adam à Deo immediate instructus erat. An potius ex peculiari Dei instinctu? Et hoc multis contigisse, certum est. An denique ex naturali rationis dictamine? Ita sentit Clemens lib. 6. constit. cap. 29. Et valde verisimile est. Sicut enim naturalis ratio dicit, vnum esse verum Deum, à quo omnia creantur & gubernantur (Roman. 1. 20.) sic etiam dicit, omnem cultum, tam internum quam externum, qui à nobis deferri potest, omnino illi deberi. Et sane, si in Republica ciuili, etiā apud Ethnicos, naturali lumine constitutum ac receptum est, ut subditi pendant tributa suis Regibus, multo magis, ut supremo creatori ac gubernatori, qui omnium Regum Dominus est, promptum obsequium ac subiectionem exhibeant.

4. Altera est, quo sensu dicatur Abel obtulisse de primogenitis sui gregis, & de adipibus eorum? Potest enim dupliciter intelligi. Primo, quod per modum vnius sacrificij obtulerit aliqua primogenita pinguia, & adipata. Secundo, quod per modum duplicitis sacrificij, seorsim obtulerit primogenita sui gregis, & seorsim adipem illorum, eumque igne cremando adoleuerit. Hic posterior modus fuit postea in lege Moysica prescriptus, ut patet Exodi 29. & Leuit. 3. Et probabile est Abelem eo usum esse.

5. Tertia est, quare sacrificium Abeli fuerit Deo gratum,

gratum, non autem sacrificium Cain? Ideò sine dubio, quia Abel erat vir iustus, & non solum externo ritu, sed etiam interna fide ac devotione, obtulit Deo de primogenitis sui gregis. Cain autem non sic. Hoc planè significat Apostolus, Hebr. 11.4. cùm ait; *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus.* Sensus est, Abel obtulit Deo hostiā meliorem & præstantiorem, quam Cain. Nam Græcè legimus, *τλείων θυσιαν*, id est, plurimam hostiam. Et quia Latinè non rectè id dicitur, vertit interpres, *plurimam hostiā.* Syriacus sic habet. *Per fidem obtulit Abel hostiam longè præstantiorem, quam Cain.* At quomodo præstantiorem? Duplici titulo. 1. Ratione fidei. 2. Ratione rei oblatæ. Fidem commendat Apostolus. Rem oblatam, Moses, cùm ait; *De primogenitis gregis sui.* Cain autem non legitur obtulisse de primis fructuum, sed de fructibus. Vide August. in questionibus veteris Testamenti, quæst. 5.

6. Quarta est: Vnde Cain intellexerit, placuisse Deo oblationem Abelis, non autem suam? Plerique docent, eum hoc externo signo cognouisse, nempe, quod Deus, misso de cælo igne, cremarit & consumpsérat sacrificium Abelis, intacta proorsus oblatione Cain. Ita Procopius, Hieronymus, Cyrillus & alij. Et Theodotionis versio sic habet: *Inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium eius: super Cain verò & super sacrificium eius non inflammavit.* Constat sanè ex Scripturis, Deū sæpe usum esse tali signo, Leuit. 9.24. *Egressus ignis à Domino, devorauit holocaustum, & adipes qui erant super altare.* *Quod cum vidissent turba, laudauerunt Dominum.* Et Iud. 6.21. *Ascendit ignis de petra, & carnes azymosq; panes cōsumpsit.* Et Reg. 18.38. *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum.* Et 1. Paral. 21.26. *David obtulit holocausta, & pacifica, & inuocauit Domi-*

num, & exaudiuit eū in igne de celo super altare holocausti. Similia habentur 2. Paral. 7. 1. & 2. Mach. 1. 22. Si ergo Deus, missō igne, ostendit sibi placuisse sacrificia Aaronis, Gedeonis, Heliæ, Dauidis, Salomonis & Nehemias, verisimile est, idē factū esse in sacrificio Abelis.

7. Ex dictis tria discimus. 1. eorum sacrificia placere Deo, qui internam fidem ac deuotionem habet. 2. eorum item, qui optima quæque Deo offerunt. 3. Sacrificium Abelis fuisse typum, seu figuram sacrificij noui Testamenti, in quo offertur Christus, qui est primogenitus in multis fratribus, Rom. 8. 29. Vide Augustinum lib. 22. contra Faustum, cap. 17.

C A P V T I I.

De sacrificio Noë.

1. **S**icut Cain & Abel leguntur primi post mūdum conditū obtulisse Deo sacrificia, sic Noë primus id fecisse post diluvium. De quo Gen. 8. 20. sic loquitur scriptura; *Ædificauit autē Noë altare Domino, & tollēs de cunctis pecoribus & volucribus mūdis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.*

2. De hoc sacrificio Noë quædam certa, quædam dubia sunt. Primo certū est, placuisse Deo. Hoc enim significat illa particula: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Paraphrasis Chaldaica sic habet: *Suscepit Dominus in beneplacito suo oblationem eius.* Quare? propter fidem & animū offerentis, ut notat Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Secundo, certum est, fuisse sacrificium Eucharisticum. Nam Noë statim ut ex arca egressus est, memor tanti beneficij, quo diuinitus ex aquarum diluvio liberatus est, voluit grati animi signum exhibere, ideoque Deo holocaustum de mundis animalibus obtulit.

3. At dubium est, Primo : An Noë ex naturali instinctu, an verò ex peculiari Dei præcepto id fecerit ? Hoc posterius verisimile. Et colligi potest ex illis verbis Genes. 7.2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & fœminam: de animantibus verò immundis, duo & duo, masculum & fœminam.* Hæc dicta sunt illi ante ingressum in Arcam. Vnde apparet Deum voluisse, vt plura munda, quam immunda animalia secum assumeret. Cur autem hoc ? quia voluit, vt post diluvium offerret sacrificia de mundis, non autem de immundis, ideoque plura debebant esse munda, quam immunda. Ita Chrysostomus homilia 24. in Genesin, Theodoreetus quæst. 50. in Genesin, & plures alij.

4. Portò difficultas est, quomodo intelligi debeat illa verba ; *Ex mundis septena & septena, ex immūdis duo & duo.* Aliqui putant hunc esse sensum : Ex unaquaque specie mundorum animalium, tolles septem & septem, id est, quatuordecim, vt verbi gratia, 14. oves, 14. boves, 14. passeres, & sic deinceps. At ex immūdis tolles tantum duo, id est, duos porcos, duos asinos, & sic de aliis. Ita Iustinus Martyr in responsione ad quæst. 43. Orthodoxorū ; Et Origenes homil. 2. super 6. cap. Genesis. Alij rectius affirmant, hunc esse sensum : Ex unaquaque specie mundorum animalium tolles septem, id est, tria paria, quorum singula constent mare & fœmina, & præter tria paria, vnum marem sine fœmina, pro sacrificio. At ex immundis duo tantū, id est, vnum marem & vnam fœminam. Ita Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 5. Tertul. de monogamia, cap. 4. Ambrosius lib. de Noë, cap. 11. Augustin. lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 27. Chrysostom. homil. 24. in Genes. quos sequitur Perarius lib. 11. disp. 3. & Martinus Delrio in cap. 7. Genes.

5. Hinc oritur alia quæstio, cur Noë iussus sit introdu

truducere in Arcam ex vnaquaque specie septem animalia munda, id est, tria paria ex mare & fœmina, & præterea viuum marem sine fœmina. Variæ solent adferri coniecturæ. Hæc probabilior est, quod vnum par seruandum esset ad propagationem speciei, alterum ad esum, quia post diluvium licebat vesci animalibus, tertium ad usum sacrificiorum. Septimum porrò animal, quod erat mas sine fœmella, statim peracto diluvio, debebat seruire sacrificio.

6. Iterum quæri potest, an illa distinctio mundorum & immundorum animalium, quæ fuit tempore Noe seruata sit tantum in sacrificio, an etiam in cibo? Facilis responsio. In solo sacrificio seruata est. Postea, per legem Mosaicam, etiam in cibo seruari oportuit, ut patet Leu. 11.2. & Deu. 14.3. Vide D. Thomam in 2. q. 103. art. 1. ad 4. An autem eadem animalia quæ tempore Noe erant munda vel immunda respectu sacrificij, postea sub lege Mosaica fuerint etiam munda vel immunda respectu comedionis, non satis constat. Multi tamen ita censem, inter quos Martinus Delrio in c. 7. Genesis.

7. Ex hoc sacrificio Noe eadē verè discimus, quæ supra ex sacrificio Abelis. Primò, sicut Abel obtulit ex interna fide & deuotione, ideoque Deo placuit, sic etiam Noe. Secundò, sicut Abel obtulit de solis primogenitis, sic Noe de solis mundis. Tertiò, sicut Abelis oblatio fuit figura sacrificij noui Testamenti, sic etiam oblatio Noe. Nam Christus, qui in sacrificio noui Testamenti offertur, non solum est *primogenitus ex multis fratribus*, sed etiam est *sancetus sanctorum*, in quo nulla peccati macula est: Et qui verè potuit dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

C A P. III.

De sacrificio Abrahæ.

1. TRIa legimus in Gen. de Abrahæmo, quæ huc spectant. Primò, quod erexerit altare, & nomen Domini inuocauerit. Secundò, quod iussus sit sumere vaccam triennem & capram trimam, & arietem annorum trium, turturam quoque & columbam. Tertiò, quod iussus sit offerre filium suum vnigenitum, sed postea prohibitus, obtulerit pro eo arietem. Hæc paucis explicanda sunt.

2. Primum ergo legimus, quod erexerit altare, aut in altari iam antea erecto nomen Domini inuocauerit. Hoc autem quater fecisse legimus. Primò cum egressus de terra & cognatione sua, venisset in terram Chanaan, prope Sichem, vbi apparuerat ei Dominus Gen. 12. 7. Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei, semini tuo dabo terram hanc. Qui edificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Secundò, in monte inter Bethel & Hai, Gen. 12. 8. Et inde transgrediens in montem, qui erat contra orientem Bethel, terredit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: edificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Tertiò, ibidem, Gen. 13. 4. Reuersusque est per iter, quo venerat à meridie in Bethel, usque ad locum, vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai: in loco altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. Quartò, iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron, Gen. 13. 18. Mouens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron: edificauitque ibi altare Domino. Vbi obiter notandum est, Abrahamum, quoties erexerit altare, non sola voce, vel interna.

terna fide, sed etiam externo sacrificio coluisse & invocasse Deum. Hoc inde constat, quia altaria non solent erigi in alium finem, quam ad usum sacrificij. Ex cipio unū casum. Nam filij Ruben & Gad erexerunt altare iuxta Iordanem, non tam ad usum, quam ad significationē sacrificij, Iosue 22.26. Volebant enim significare, se fideles esse, & habere ius sacrificij offerendi. Ex tra hunc casum, ubique; altare, ibi sacrificium. Habet enim nomen à sacrificio. Nam Græcè θυσιαցειν dicitur, id est, locus victimæ seu sacrificij. An autem Abraham erexerit altare ex terra, an ex lapide, non possum definire. Hoc scio, in lege Mosaica, diu post Abrahāni tempora, præceptum fuisse, ut altaria non aliunde, quam vel ex terra, vel ex lapide non secto fierent, ut habetur Exod. 20.24. *Altare de terra facies mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra.* Quod si altare lapideū feceris mihi, nō edificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur. Deut. 27.5. Edificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrū non tetigit, & de saxis informibus & impolitis & offeres super eo holocausta, &c. Quod impletum est Ios. 8.30.

3. Secundò legimus Abrahamum iussum esse, sumere vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam, Gen. 15.9. An autem hoc iussus sit facere sacrificij causa, nō conuenit inter interpretes. Aliqui putant, non tam sacrificij, quam fœderis cū Deo in ti causa, iussum esse. Alij, utriusque causa. Quibus assentior. Res autē sic habet. Abraham post deuictos reges, & oblatas Melchisedecho decimas cœpit apud se cogitare de futuro euentu: Et partim metuebat inuidiam Chananæorum, inter quos versabatur, partim noua bella Assyriorum, quos semel profligauerat. Igitur nocturno tempore vigilanti apparuit Deus, & dixit: *Noli timere Abraham: Ego pro*

protector tuus sum. Et iterum : Suffice cœlum & numera stellas si potes. Sic erit semen tuum. Et denique, Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldeorum , ut darem tibi terram istam, & possideres eam. Abrahā, audita hac triplici promissione (nēpe de protectione diuina, de copiosa posteritate, & de possessione terræ Chanaan) vt esset certior, petebat aliquo signo eam confirmari. Igitur à Deo missus est sumere vaccam, capram, arietem, turturē, & colubam, vt ea in sacrificium offerret. Et quidē si ignis à Deo missus , consumeret sacrificium, certò sibi persuaderet, promissionem fore firmam ac ratam: quod etiam factum est. Sic enim habet textus Gen. 15.9. Sume tibi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollēs universa hæc, diuisit ea per medium, & utrasque partes cōtra se altrinsecus posuit. (Hęc animalium dissecatio solet adhiberi in feriendo fœdere, ad significandum, fœdifragos simili modo dissēcados esse, si pacta non seruarēt. Ier. 34.18. & 1. Reg. 11.7. & Iud. 19.29.) Et infra v.17. Cū ergo occubuisse sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. Quorsum ignis transit inter diuisiones animalium? nempe ad consumendum & comburendum in signum sacrificij accepti. Chrysostomus hom. 37. in Genes.

4. Tertiò legimus, Abrahamum iussum esse offerre filium suum vnigenitum, sed postea prohibitum, obtulisse pro eo arietē, Gen. 22. 2. Dixit Deus ad Abrahā: Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstrauero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque cōcidisset ligna in holocaustum, abiit ad locū, quē præceperat ei Deus.

Die

Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul, dixitq; ad pueros suos: Expectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Paterni: ecce ignis & ligna: ubi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo edificauit altare, & de super ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum, extenditq; manū suam, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce, Angelus Domini de cælo clamauit; dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit. Adsum: Dicitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: Nunc cognoui, quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Lenauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres bareniem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.

5. Hæc oblatio continet illustrem figuram oblationis Christi in cruce, ut præter alios diligenter notauit D. Augustinus serm. 71. de tempore. Primo, quia sicut Abraham obtulit filium suum unigenitum Isaac, quem maximè diligebat; sic Deus pater obtulit unigenitum filium suum Christum, iuxta illud Ioan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret. Vnde rectè Augustinus, Abraham, inquit, quando Isaac filium suum obtulit, typum habuit Dei patris: Isaac vero typum gessit Domini Saluatoris. Secundo, sicut Isaac fuit obediens suo patri in re omnium difficillima, sic Christus fuit obediens Deo patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Tertiò, sicut Isaac portauit ligna holocausti super humeros suos, ita Christus portauit lignum crucis.

Quarto,

Quārtō, sicut Isaac cūm ad altare ventum esset, non est mactatus, sed aries pro eo substitutus, ita Christus secundū diuinitatem non est passus, sed secundum humanitatē. In beato Isaac, inquit Augustinus, significata est diuinitas, in ariete humanitas Christi. Quintō, sicut Isaac alligatus erat, & positus super struem lignorum, ita Christus alligatus erat cruci.

6. Nec desunt, qui putent vtranque oblationem eodem loco contigisse. Quod si ita est, multo luculentior erit similitudo inter Isaac & Christum. De ea re sic scribit Augustinus loco citato: *Audite aliud sacramentū. Hieronymus presbyter scripsit, ab antiquis & senioribus Iudeis se cognouisse certissimè, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est.* Et paulo post: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo, in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Caluariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultū.* Et verè fratres, non incongruè creditur, quia ibi erclus fuit medicus, ubi iacebat agrotus.

7. Hæc breuiter dicta sint de sacrificiis Abrahāmi, quorum quatuor priora oblata sunt ab ipso pro gratiarum actione: quintū, pro fœdere inter ipsum & Deum initio: sextum, ad figurandam Christi immolationem.

C A P. I V.

De Sacrificio Melchisedech.

1. D E hoc sacrificio sic loquitur Moses, Gen. 14. 18. At verò Melchisedech Rex Salē, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: *Benedictus Abraham Deo excelso, & benedictus Deus excelsus, quo protegēte, hostes in manibus tuis sunt.*

2. Hinc tria colligimus. Primò Melchisedechum Opusc. Tom. II. P p fuisse

fuisse Sacerdotem Dei altissimi. Secundò, obtulisse panem & vinum in sacrificium, idque in gratiarū actionem pro victoria ab Abrahamo obtenta. Tertiò, ea oblatione præfigurasse sacrificium Christi, quod in ultima cœna sub specie panis & vini peractum est. Atque ea de causa Christum in Scripturis vocari Sacerdotē secundum ordinem Melchisedech, non autem secundum ordinem Aaronis. Nam sacrificium Christi in ultima cœna non fuit cruentum ex animalibus, sicut sacrificia Aaronica: sed incruentum sub specie panis & vini, sicut sacrificium Melchisedechi.

3. De primo puncto nulla est controuersia. Omnes concedunt Melchisedechum fuisse verum Sacerdotem: imò simul Regem & Sacerdotem. Hoc enim apertè significant verba Mosis citata. Et confirmatur ab Apostolo, Heb. 7.1. cum ait: *Melchisedech Rex Salem & Sacerdos Dei summi.* De secundo & tertio puncto difficultatem mouent Nouatores, cum olim nulla fuerit. Negant Melchisedechum obtulisse panem & vinum in sacrificium. Negant in ea re gessisse typū Christi offerentis Eucharistiam. Itaque duplex hinc oritur quæstio. Vna, in quem finem aut usum protulerit Melchisedech panem & vinum? Altera, in qua re Melchisedech fuerit typus seu figura Christi? an in oblatione panis & vini, quod nos asserimus, an in aliqua alia re, quod contendunt Nouatores?

4. Prior ergo quæstio est, in quem usum protulerit Melchisedech panem & vinum? Caluinus, & qui eum fecuti sunt Sectarij, volunt protulisse in corporalem refectionem Abrahami & sociorum eius, qui fatigati ex prælio reuertebantur. Contra omnes antiqui Patres, quotquot de hac re scripsierunt, nobiscum sentiunt, protulisse in usum sacrificij. Antequam verba illorum proferam, hoc obiter præmitendum est, statum controuersiæ

trouersia non versari in eo præcise, an panis & vinum prolata sint in refectionem Abrahæ & sociorum eius, sed potius, an prolata sint in solam corporalem eorum refectionem & in nullum alium usum? Hoc enim contendunt Nouatores. At nos dicimus, prius oblata fuisse Deo per modum sacrificij, ac deinde fortasse distributa in socios Abrahæ, ut sacrificij participes efficerentur. Hoc probamus ex sequentibus Patribus.

5. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum cap. 8. sic habet: *Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui panem & vinum sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistie. Quid clarius? Dedit, inquit, panem & vinum. Sed qualem panem, & quale vinum? Non prophanum, sed sanctificatum. Nec aliter quam sacrificando. At in quem finem? In typum Eucharistie.*

6. Sanctus Cyprianus lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium: *I sacerdote Melchisedech, inquit, sacrificij Dominici sacramentum prefiguratum videmus, secundū quod Scriptura divina testatur, & dicit: Melchisedech protulit panem & vinum. Et paulo post subiungit: Quod autem Melchisedech typū Christi portarit, declarat in Psalmis Spiritus S. ex persona patris ad filium dicens: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nā quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Hic disertè affirmat Cyprianus, Christū in ultima cœnæ obtulisse idem sacrificiū quod obtulerat Melchisedech, nēpe panē & vinū. Et propter huius sacrificij similitudinē, Christū vocari Sacerdotē secundum ordinē Melchisedech: Et Melchisedech portalse typū Christi.*

7. Idem docet Eusebius Cœsariensis lib. 5. demonst. Euang. cap. 3. cum ait: *Quemadmodum Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo vino ac pane, ita Saluator noster, & qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus, vino ac pane, corporis illius & Saluatoris sanguinis mysteria representant: quæ sane mysteria Melchisedech tanto ante, spiritu diuino cognouerat, & rerum futuraru imaginibus usus fuerat.* Hic paucis multa complexus est: Primum, Melchisedechum fuisse sacerdotem gentium, non Iudæorum. Secundò, nusquam legi, quod usus sit sacrificiis ex animalibus, sed ex solo pane & vino. Tertiò, similiter fecisse Christum in ultima cœna, quando sub specie panis & vini obtulit corpus & sanguinem suum. Quartò, idem facere omnes Sacerdotes Christianos in toto terrarum orbe.

8. Et clarissimè D. Hieronymus in epistola ad Marcellam, Recurre, inquit, ad Genesin & Melchisedech Regē Salem huius principem inuenies ciuitatis (Bethleem) qui iam tunc in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianū in Saluatoris corpore & sanguine dedicauit. Et D. Augustinus epist. 95. ad Innocentium Papam: *Melchisedech prolato sacramento mensa dominica nouit aeternum eius sacerdotium figurare:* Et lib. 16. de ciuitate Dei c. 22. loquens de oblatione Melchisedech: *Ibi, inquit, primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christians offertur Deo, toto orbe terrarum.* Ne longus sim, idem docent Ambrosius, Epiphanius, Chrysostomus, Arnobius, Theodoretus, Eusebius, Emissenus, Eucherius, & alij passim apud Bellarminum lib. 1. de Missa, cap. 6.

9. Quibus nunc credendū est? An paucis illis Novatoribus, qui ex odio Romanæ Ecclesiæ, nouum illud commentum effinxerunt? An potius his, tot tantisque Patribus, qui ex instinctu Spiritus sancti sacrā Scripturam

pturam interpretati sunt? His, sine dubio. Sic enim suadet Ecclesiast. c. 8. 11. *Non te prætereat narratio seniorum: Ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.*

10. Hinc iam facile dissolui potest altera quæstio, quæ erat, in qua re Melchisedech fuerit typus seu figura Christi? Nempe, in oblatione panis & vini. Sic explicat Patres citati. Et ratio est, quia si Christus, ut Scriptura testatur, fuit verè Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, & non secundum ordinem Aaronis, necesse est, cum in sacerdotio fuisse magis similē Melchisedecho, quam Aaroni. Hęc autem similitudo in eo consistit, quod Christus in ultima cœna non obtulerit sacrificium ex animalibus, ut Aaron, sed ex pane & vino, ut Melchisedech.

11. Duo obiici possunt. *Vnum est*, quod Apostolus Heb. 7. multo aliter explicat illam similitudinem, nulla facta mentione panis & vini. *Alterum*, quod Christus in oblatione panis & vini, non magis fuerit similis Melchisedecho, quam Aaroni: quia etiā Aaron obtulit panem & vinum, ut patet Exodi 29. 40. & Num. 28. 5. *Respondeo.* Similitudo inter Christum & Melchisedechum consistit quidem in aliis etiā rebus sed potissimum in oblatione panis & vini. Hoc sic ostendo. Consistit primò in notatione nominis. Nam Melchisedech idem est, quod Rex iustitiae. At Christus est verus rex iustitiae, non solum, quia indicat populum in aequitate, ut habetur Psalm. 71. 2. sed etiā quia ex perfecta iustitia pro nobis Deo satisfecit. Secundò, in notatione officij. Nam Melchisedech fuit Rex Salem, id est, Rex pacis. Hoc optimè conuenit Christo iuxta illud Ephes 2. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vitraque unum.* Et Colos. 1. 20. *Pacificans per sanguinem crucis, sine qua in terris, sive qua in cœlis sunt.* Tertiò, in origine.

Nam Melchisedech introducitur *sine patre & matre*, ad significandam Christi diuinitatem & humanitatem, quia Christus, ut homo, non habuit patrem: ut Deus, nō habuit matrem. Quartò, in duratione. Nam Melchisedech introducitur, *neque initium di-
rum, neque finem habens*; ac proinde repræsentat æter-
nitatem sacerdotij Christi, cui aliud sacerdotium suc-
cessurum non est. In hac repræsentatione deficit sa-
cerdotium Aaronis, quod fuit temporale, & abroga-
tum per successionem sacerdotij Christiani. Quintò,
in oblatione. Nam Melchisedech obtulit panem &
vinum, & sic fuit figura sacrificij incruenti, quod Christus in ultima cœna instituit, & quod quotidie in Ec-
clesia repetitur. Aaron autem obtulit animalia occi-
sa, & sic fuit figura sacrificij cruentum, quod semel tan-
tum in cruce oblatum est.

12. In his, inquam, omnibus consistit figura seu
similitudo inter Melchisedech & Christum: sed tamen,
ut dixi, potissimum in oblatione panis & vini: quod
sic explicabo. Christus in Scriptura vocatur Sacerdos se-
cundum ordinem Melchisedechi, & non secundum
ordinem aliorum sacerdotum: Ergo Melchisedech,
quatenus Sacerdos, habuit aliquid peculiare ac pro-
prium, in quo esset figura Christi, quod nō habuerint
alii Sacerdotes. Hoc autem potissimum est oblatio
panis & vini. Nam taliqua, quæ habuit Melchisedech,
vel non habuit ut Sacerdos, vel certè non fuerunt illi
propria ac peculiaria. Hoc patet ex dictis. Nam cetera,
quæ habuit præter oblationem panis & vini, fuerunt
hæc. Primo, quod vocatus sit Rex iustitiae. Hoc nihil
ad sacerdotium. Secundo, quod fuerit Rex Salem, id
est, pacis. Neque hoc, ut Sacerdos, sed ut Rex habuit.
Tertio, quod introductus sit sine patre, sine matre, sine
genealogia. Etiam Iob & Helias sic introducti sunt.

Quartò,

Quartò, quod introductus sit neque initium, neque finem dierum habens. Et hoc Heliæ conuenit. Quid ergo proprium ac peculiare habuit, quod alij non haberunt? Oblationem panis & vini. In hac ergo potissimum fuit typus seu figura Christi.

13. Dices: Si ita est, cur Apostolus hoc tacuit? Cur cum dixit Melchisedechum fuisse figuram Christi in aliis rebus, præsertim in æternitate sacerdotii, non adiecit, quod potissimum erat, fuisse etiam in oblatione panis & vini? Respondeo. Oportet attendere ad scopum Apostoli in epistola ad Hebræos. Non voluit ex professo explicare figuram & similitudinē inter Christum & Melchisedechum (si enim hoc voluisset facere, sine dubio dixisset, eam consistere in oblatione panis & vini, sicut omnes antiqui Patres dixerunt, qui de hac re scribunt) sed voluit ostendere excellentiam sacerdotij Christi, supra Sacerdotes Aaronicos: Aut si generatim loquamur, excellentiam Christi supra Angelos, Mosen, & sacerdotes Aaronicos. Hebræi enim, ad quos scribebat, magni faciebant Angelos, quorum ministerio legem acceperant: Mosen, qui legem illis promulgauerat: Sacerdotes Aaronicos, qui in lege ordinati erant. At de Christo humiliter sentiebant. Apostolus ergo, ut rectè eos instrueret, voluit ex professo demonstrare, Christum, & Angelis, & Mose, & Sacerdotibus Leuiticis excellentiorem esse. Itaque tripli-cem instituit comparationem. Primam inter Christum & Angelos, cap. 1.4. Tanto melior Angelis effetu, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Alteram inter Christum & Moysen, cap. 5.3. Amplioris enim gloria iste præ Mose dignus est habitus. Et infra ver. 5. Moses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus: Christus vero tanquam filius.

Tertiam inter Christum & Sacerdotes Leuiticos, cap.7. vbi sic ratiocinatur: Melchisedech fuit excellentior Aarone: sed Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Ergo sacerdotium Christi est excellentius sacerdotio Aaronico seu Leuitico. Maiores probat tripliciter. Primo, quia Melchisedech benedit Abrahæ, & consequenter Aaroni, qui erat in lumbis Abrahæ. Maior autem benedit minori. Secundo, quia accepit decimas ab Abrahamo, & consequenter ab Aarone. Tertiò, quia non legitur habuisse initium dierum ac finem.

14. Ex hoc discursu facilè aduertis, Apostolum non aliud ex professo egisse, quam ut ostenderet sacerdotium Christi præstantius esse sacerdotio Aaronis: ac proinde Hebreos, qui hactenus magni fecerant legem & sacerdotium Mosaicum, deinceps debere pluris facere legem & sacerdotium Christianum. Vnde ulterius sequitur mirū non esse, si nullam fecerit mentionem oblationis panis & vini. Non enim disputabat de figura & similitudine inter Christum & Melchisedech, ut dictū est, sed de excellentia Sacerdotij Christi supra Sacerdotium Mosaicum. Ad hanc autem excellentiam declarandam non opus erat confugere ad oblationem panis & vini, cum aliunde suppeterent sat multa argumenta, quæ plus momenti habebant. Nam ex oblatione panis & vini videbat se nihil efficaciter probare posse. Dixissent enim Hebrei sacrificia Mosaiaca, quæ constabant ex animalibus, non fuisse inferiora sacrificio Melchisedechi, quod constabat ex pane & vino: ac proinde ex hac parte, Melchisedechum non fuisse Aarone excellentiorem.

15. Sat multa de prima obiectione. Superest altera, quæ erat talis: Oblatio panis & vini fuit etiā visitata in sacrificiis Aaronicis, & non tantum in sacrificio Melchi

Melchisedechi : Ergo propter hanc oblationem non minus Aaron, quām Melchisedech, fuit figura Christi. *Respondeo.* Quando instituitur collatio inter sacrificiū Aaronis & Melchisedechi, debet institui inter principale & integrum sacrificium utriusque. Oblatio panis & vini erat principale & integrum sacrificium Melchisedechi, quia nihil aliud legitur obtulisse. At non erat principale & integrum sacrificium Aaronis, sed tantum particula, per modum annexi. Nam principale illius sacrificiū constabat ex animalibus. Hinc patet, quomodo Melchisedech potius, quām Aaron fuerit figura Christi in oblatione panis & vini. Nam sicut Melchisedech obtulit panem & vinum, sine animalibus, ita Christus in ultima cœna, obtulit suam carnem & sanguinem sub specie panis & vini, sine specie aut oblatione animalium. Et hæc sufficient hoc loco de sacrificio Melchisedechi. Si quid amplius dicendum sit, commodius fieri in tertio libello, ubi ostendemus oblationem panis & vini in novo Testamento esse verum sacrificium, quia figura illius oblationis, quæ precessit in Melchisedecho, fuit verum sacrificium.

C A P V T V.

De sacrificio Isaac & Iacob.

I. Isaac non nisi semel legitur sacrificium obtulisse, idque in Bersabee. De eo sic scribit Moses, Gen. 26.23. *Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui: noli timere, quia ego tecum sum: Benedic tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaque edificauit ibi altare: & inuocato nomine Domini extendit tabernaculum.* Ex quibus verbis constat

primò, Deum promisisse Isaaco suam protectionem, benedictionem & copiosam posteritatem. 2. Isaacum, ut pro tam liberali promissione gratum se ostenderet, ædificasse altare, & sacrificium obtulisse.

2. Jacob saepius legitur sacrificasse. Primò, in monte Galaad, Genes. 31. 53, Secundò, iuxta oppidum Sichem, Genes. 39. 20. Tertiò, in Bethel, Genes. 39. 7. Quartò, in eodem loco, Genes. 35. 13. Quintò, ad puteum iuramenti, Genes. 46. 1.

3. Hæc omnia sacrificia fuerunt Eucharistica; pro diuersis beneficiis à Deo acceptis. Jacob enim, ut sanctorum hominum mos est, quotiescumque à Deo nouum aliquod beneficium accipiebat, statim pro gratiarum actione offerebat illi sacrificiū. Igitur primum obtulit in monte Galaad, pro felici compositione litis, quæ inter ipsum & Laban orta erat. Alterum prope Sichem, eo quod in itinere, rediens ex Mesopotamia Syriae, euasisset iram fratris sui Esayi, quam valde metuebat. Tertium in Bethel, propter candem causam. Quartum in Bethel, pro promissione futuri seminis & benedictionis à Deo facta. Quintum, ad puteum iuramenti, eo quod intellexisset, filium suum Joseph, quem putarat esse mortuum, adhuc viuere, & dominari in Ægypto.

C A P V T VI.

Dé sacrificio Iob.

1. **D**E eo sic legimus, Iob 1. 4. *Iabant filij eius: & faciebant conuiuum per domos, unusquisque in die suo. Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebant ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque dilu-*

enlo, offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim, Ne forse peccauerint filii mei. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

2. Ex quibus verbis tria colligimus. 1. Præparacionem ante sacrificium. 2. Ipsum sacrificium. 3. Causam seu finem sacrificij. Præparatio significatur illis verbis: *Sanctificabat illos.* Porro sicut triplex est sacrificium, ut initio dixi; nempe, Legis Naturæ, Legis Mosaicæ, & Legis Gratiae: sic triplex sanctificatio, quæ præcedit sacrificium, vna in Lege Naturæ, de qua hic sermo est. Altera in Lege Mosaica, de qua intelligitur illud. 1. Reg. 16. 5. *Ad immolandum Domino veni: sanctificamini, & venite mecum, ut immolem. Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.* Tertia in Lege Gratiae seu Euangelij, de qua Apostolus. 1. Corinth. 11. 28. *Prophet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Prima sanctificatio, qualis erat filiorum Iob, fiebat iuxta dictamen rectæ rationis. Altera, quæ erat Iudeorum, fiebat ex præscripto Legis Mosaicæ: Et consistebat in ablutione vestimentorum & in abstinentia ab immundis, & in abstinehtia à mulieribus, ut patet Exodi. 19. 10. Leuit. c. 22. 4. Et 1. Reg. 21. 4. Tertia, quæ est Christianorum, sit ex præscripto Christi, & consistit in diligenti examine conscientiæ, & vera cordis contritione ac munditia, 1. Corinth. 11. 28.

3. Sacrificium Iob designatur illis verbis: *offerebat holocausta pro singulis.* Nempe præmissa sanctificatio-ne. Cum autem habuerit septem filios, & tres filias: quæstio est, an obtulerit totidem holocausta? Aliqui cum Gregorio putant, obtulisse tantum septem pro septem filijs: alij cum Cypriano, decem pro septem filijs & tribus filiabus. Finis autem, propter quem offerebat, significatur ijs verbis: *Ne forte peccauerint filii mei.* Erat ergo sacrificium propitiatorium.

C A P. VII.

De Agno Paschali.

1. **H**oc sacrificium Agni paschalis à Deo institutum est, paulò ante egressum filiorum Israël ex Ægypto: ac primò celebratum, pridie egressionis ad vesperam cum mandato, ut postea singulis annis, primo mense anni, die 14. mensis ad vesperam, repetetur. Quod an semper factum sit, postea videbimus. Ad maiorem illius notitiam hæc breviter examinanda sunt. 1. Qualis debuerit esse Agnus. 2. An pro agno licuerit aliud animal immolare. 3. Quo tempore immolandus fuerit Agnus. 4. Quo loco. 5. Quo ritu. 6. Qui nam potuerint ex illo comedere. 7. In quem finem instututum sit hoc sacrificium Agni. 8. Quoties celebratum à Iudeis.

2. Est ergo prima quæstio, qualis debuerit esse Agnus? *Respondeo.* Debuit habere tres conditiones. 1. vt esset masculus. 2. vt anniculus, seu unius tantum anni. 3. vt sine macula, id est, sanus & integer, non morbidus aut vitiosus. Hoc patet ex illo Exod. 12. 3. *Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Quæ maculæ seu vitia arcerent quodcumque animal à sacrificio, explicat Moses Leuit. 22. 21. his verbis. *Homo, qui obtulerit victimam, tam de bovis, quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit.* Omnis macula non erit in eo. Si cœcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, aut impetiginem: non offertis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.

3. Altera quæstio est, an pro Agno licuerit aliud animal immolare? *Respondeo.* Non licuit aliud immolare,

lare, nisi hædum, qui similiter debebat esse masculus, anniculus, & sine macula. Sic enim legimus Exod. 12. 5. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hædum. Obijci potest illud Deut. 16. 2, Immolabis Phase Domino Deo tuo, de ouibus & de bobus. Ergo præter Agnum & hædum, licebat etiā bouem aut vitulum immolare. Respondeo. Nomen Phase, dupliciter sumi solet. Primo, propriè ac strictè pro Agno Paschali, qui immolabatur decimo quarto die mensis primi ad vesperam: Et hoc sensu, non licebat pro agno immolare aliud animal, nisi hædum, ut dictū est. Secundo, impropriè & latè pro hostijs pacificis, quę durante solennitate paschali, offerebantur in diebus azymorum, qui sequebantur vesperam & immolatiō nem Agni Paschalis. Huiusmodi autem hostiæ poterat sumi etiam ex bobus: Et hoc sensu intelligitur, quod allatum est ex Deuteronomio. Vide quę scripta sunt, Num. 28. 16. Vnde patet tam agnum paschalem, quam cæteras victimas illius solennitatis, vocari Phase in scriptura. Hinc facilè explicatur illud Iohann. 18. 28. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Vbi per Pascha non intelligitur agnus Paschalis, quem Iudei pridie ad vesperam comedebant: sed victimę pacificę, quę sequentibus azymorum diebus comedunt solent, non tamen nisi à mundis & purificatis.

4. Tertia quæstio est, quo tempore immolandus fuerit Agnus? Resp. Die decimo quarto mensis primi ad vesperam. Sic enim præceperat Deus Exod. 12. 3. Decima die tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Et seruabit eum usque ad quartam decimam diem huius, immolabitque eum uniuersa multitudo filiorū Israël ad vesperam. Hoc præceptum, quo ad posteriorem partem, semper seruatum est. Nam Hebrei, non solum in

Ægypto ante egressionem, sed etiam postea in monte
Sinaï & alibi, solebant immolare agnum Paschalem
die 14. mensis primi ad vesperam. Excipio vnum casū.
Nam si eo die immundi essent, poterat differri usq; ad
diem 14. sequentis mensis: quod aliquando etiam fa-
ctum est. Posterior pars difficultatem habet. Nam ali-
qui putant Iudeos nunquam, nisi in Ægypto, iussos
fuisse, querere agnum die decima, quem postea immo-
larent die decimaquarta ad vesperam: sed vnicuiq; li-
berum fuisse, ut quereret, quo die vellet. Ita Abulensis
in c. 12. Exod. quæst. 4. Ribera lib. 5. de templo, cap. 3. &
nonnulli alij. Et duplex illorum ratio est. Vna, quia
postea, quotiescumque fit mentio immolationis agni,
nunquam repetitur illa pars præcepti de die decimo,
quo debebat queri agnus, sed solum altera pars de die
decimoquarto, quo debebat immolari. Ergo signum
est, quod illa pars die decimo non obligauerit nisi in
Ægypto. Altera, quia erant legitimæ causæ, cur in
Ægypto debuerint agnum prius querere & præpara-
re, quam veniret dies immolationis: quæ tamen causæ
postea locum non habuerunt. Erant autem hec. 1. Quia
sciebant se post paucos dies egressuros esse ex Ægy-
pto, & ideo erant valde occupati circa ea præparanda,
quæ ad futuram profectionem putabantur esse neces-
saria. Ne ergo propter hanc occupationem obliuiscer-
rentur agni Paschalis, iussi sunt tempestiuè illum que-
rere & præparare. 2. Ut tanto plus temporis haberent
ad explorandum, an Agnus esset talis, qualis ex prescri-
pto Dei requirebatur, nempe anniculus, masculus, sine
macula. 3. Ut illis diebus quibus Agnus asseruabatur,
ex ipsius aspectu & balatu, facilius cogitarent de fu-
tura liberatione ex Ægypto.

5. Neutra ratio videtur conuincere. Non prior,
quia etiam postea, quotiescumque fit mentio immola-
tio

tionis Agni, nūquam repetitur illa pars præcepti, quòd deberet comedi cum capite, pedibus & intestinis. Et tamen ita fieri oportebat. Nec posterior, quia illæ tres causæ non magnoperè vrgent. Imo prima & tertia non cohærent inter se. Nam si in futuram profectionem ita intenti erant Israëlitæ, vt periculum effét, ne obliuiscerentur agni paschalis: quid necesse fuit, vt ex aspectu & balatu agni reducerentur in recordationem futuræ profectionis? Secunda nihil efficit. Cur enim in Ægypto indigebant certis diebus ad explorandum, an Agnus esset anniculus, masculus, & sine macula: si postea non indigebant? An minus cauti & solerter erat in Ægypto, quam extra Ægyptum? Non video, cur id asseramus.

6. *Quarta* questio est, quo loco immoladus fuerit agnus paschalis? *Respondeo.* Distinguenda sunt quatuor tempora. Primum egressionis ex Ægypto. Secundum peregrinationis in deserto. Tertium, ingressus in Iudæam: Quartum habitationis in Iudæa. Igitur cum adhuc in Ægypto essent Hebrei, singuli patres familiæ in sua domo iubebant immolare & comedere Agnum. Exod. 12. At tempore peregrinationis, immolabant & comedenterunt in deserto Sinaï, Num. 9. 1. Porro in ingressu in Iudæam, post trâsum Iordanis, in campis tribus Iericho, Iosue 5. 10. Denique tempore habitationis in Iudæa, nusquam licebat id facere, nisi in illo loco, ubi esset tabernaculum, iuxta illud Deut. 16. 5. *Non poteris immolare Phasæ in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi.* Immolabis Phasæ vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. Locus autem, in quo habitauit nomen Domini, fuit varijs temporibus varius. 1. Galgala. 2. Silo. 3. Nobe. 4. Gabaō. 5. Ierusalem ædificato templo Salomonis.

Et

Et hæc causa est , cur sæpe in sacris literis fiat mentio eorum, qui tempore Paschali Hierosolymam ascenderant, ut 2. Paral. 30. 1. Luc. 2. 41. & alibi.

6. *Quinta quæstio est, quo ritu coquendus & comedendus fuerit Agnus? Respondeo.* In prima immolatione, quæ in Ægypto contigit, seruatus est hic ritus ac ordo. 1. Macatabatur agnus, & sanguis eius ponebatur super utroque poste ianuæ, & superliminari domus, in qua edendus erat. 2. Excoriabatur, diffiniebatur, & eluebatur. 3. Assabatur igne. 4. Assatus comedebatur cum capite, pedibus, & intestinis. 5. Adhibebantur azy- mi panes cum lactucis agrestibus. 6. Nihil ex eo licebat conseruare in sequentem diem : sed si quid residuum fuisset, igne comburendum erat. 7. Qui illum comestu- ri erant, debebant accincti esse tenibus, calceati, bacu- lum manibus gestantes, festinantes. Vide Exod. 12. Duo hic quæri solent. 1. An hæc omnia sint etiam seruata? 2. An Iudæi comedentes Agnum, debuerint stare, an se- dere? Nihil certi de utroque.

8. *Sexta quæstio est, quinam potuerint comedere de Agno Paschali? Respondeo.* Soli Iudæi , non autem alienigenæ, nisi prius essent circumcisæ. Exod. 12. 43. Et ratio est, quia circumcisio erat figura Baptismi ; & agnus paschalis, sacrificij Eucharistiae. Sicut ergo in no- uo Testamento nemo potest esse particeps sacrificij Eucharistiae, nisi sit baptizatus: ita in veteri Testamen- to nemo poterat edere de Agno Paschali, nisi esset cir- cumcisus. Sed, an omnes circumcisæ poterant? Certum est immundos non potuisse. Vnde, si qui vel Iudæi, vel alienigenæ circumcisæ, eo die, quò ordinariè immo- labatur Agnus Paschalis, immundi fuissent, debebant prius mundari, & expectare usque ad diem decimum quartum sequentis mensis, sicut factum est, Num. 9. 6. & 2. Paral. 30. 15.

9. *Septima quæstio est, in quem finem institutum fuerit hoc sacrificium Agni?* Respondeo, in duplicem finem. Primo, in memoriam illius beneficij, quod Iudæi consecuti sunt ea nocte, quæ secura est immolationem agni Paschalis in Ægypto. Tunc enim Deus percussit omnia primogenita Ægypti, intactis primogenitis Iudæorum: & liberavit Iudæos à seruitute Pharaonis. Secundo in typum & figuram Christi, qui tanquam agnus innocens immolandus & occidēdus erat pro humano genere. De priori fine intelligitur illud Exodi 12.14. *Habebitis hunc diem in monumentū, & celebrabitis eum solēnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Et v. 26. *Et cū dixerint vobis filij vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis. Viēlma transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* De posteriori loquitur Apostolus 1. Corinth. 5. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Duo autem spectāda sunt in Agno. 1. Immolatio, quæ erat figura Christi in cruce immolādi. 2. Comesatio, quæ erat figura Christi in ultima cœna comedendi sub specie panis & vini. Prior figura in his consistit. Primo, sicut per immolationem agni paschalis, & per aspersionem sanguinis eius super postes & lignaria, liberati sunt Israëlitæ à captiuitate Pharaonis, & ab Angelo percutiente: sic per immolationem Christi in cruce, & per effusionē sanguinis illius, liberatū est genus humanū à seruitute peccati & diaboli. Secundo, sicut agnus vesperè immolatus est: sic Christus in fine saeculorum mortuus est pro nobis. Tertio, sicut agnus immolabatur à tota multitudine populi Israëlitici: sic Christus morti addictus est, clamante tota Iudæorum multitudine, *Crucifige, Crucifige.* Quartò, sicut agnus erat masculus, anniculus & sine macula: sic Christus in pariendo fortis, in flore aetatis, & sine ullo peccato.

Quintò, sicut os non cōfringebatur in Agno: sic Christi crura in cruce nō sunt fracta: quam figuram expressit Euangelista Ioan. 9.33. Sextò, sicut pro Agno poterat hædus subrogari: sic Christus, tametsi agnus esset, tamen inter iniquos, id est, inter hædos reputatus est. Et sicut hædus solet esse victima pro peccatis: sic Christus pro peccatis totius mundi oblatus est. Hinc etiam Iacob patriarcha, hædinis pellibus obuolutus fuit ut Christum prefiguraret. Posterior figura consistit in his. Primò, sicut Agnus fuit comedens à Iudæis: sic Christus in Eucaristia comeditur à Christianis. Secundo, sicut ille à solis Iudæis & circumcisis, & in sola ciuitate Ierusalem: ita hic à solis Christianis & baptizatis, & in sola Ecclesia. Tertiò, sicut ille assatus igne corporali: ita hic assatus igne charitatis. Quarto, sicut ille cum azymis panibus & lactucis agrestibus: ita hic cum magna puritate & dolore de peccatis. Quintò, sicut ille cū capite, pedibus, & intestinis: ita hic cū diuinitate, & humanitate, latente sub specie panis & vini. Denique sicut ille à Iudæis succinctis & peregrinantibus ad terram promissionis: ita hic à Christianis properantibus ad cœlestem patriam.

10. *Octaua* quæst. quoties à Iudæis celebratum sit Pascha? *Respon.* Constat ex Scriptura, & saepè celebratum, & saepè omissum esse. Ac primò celebratum est in egressu ex Ægypto, Exo. 12.28. Secundò, in deserto Sinai, anno 2. egressionis, Num. 9.1. Tertiò, in campestribus Iericho Ios. 5.10. Quartò, in Ierusalem sub Ezechia rege 2. Par. 30. 1. Quintò, in Ierusalem sub Iosia Rege, 4. Reg. 23. 21. & 2. Paral. 35. 1. Sextò, post reditum ex captiuitate Babylonica in Ierusalem, 1. Esdræ. 6. Septimò, tempore Christi & Apostolorum. Matth. 26.27. Omissum autem est primò, toto tempore peregrinationis, exceptis duobus primis annis. Nam

primo anno celebratum est in Ægypto: secundo in deserto Sinai , ut dictum est. Ab eo tempore , per 38. annos, usque ad transitum Iordanis, omissum est. Non enim Iudæi , qui transibant Iordanem , erant circumcisi , ac proinde non poterant celebrare Pascha. Vnde Iosue , cum vellet per transitum Iordanis in Galgala, seu in campestribus Iericho , renouare immolacionem Agni : prius mandauit omnes circumcidiri , Iosue 5. 2. Deinde tempore Regum , saepe omissum est. Vnde Ezechias & Iosias hortati sunt populum, ut omnes venirent Hierosolymam & ibi iuxta legem celebrarent Phase. 4. Reg. 13. 21. & 2. Paralip. 30. 1. Denique intermissum est tempore captiuitatis Babylonicae. Vnde post captiuitatem , cum Iudæi rediissent Hierosolymam , cœperunt iterum immolare , ut patet 1. Esdræ 6. 19. Atque hæc ex Scripturis dicta sufficient.

C A P V T VIII.

*An in supradictis Sacrificiis opus fuerit
Sacerdote.*

I. **O**MNIMB̄ opus fuit. Nam generatim loquendo, sacrificium & sacerdotium ita connexa sunt, ut sacrificium ab alio, quam à sacerdote legitimè offerri non possit. Hoc significat Apostolus Hebræorum 5. 1. cum ait. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia.* Et ratio est, quia sacrificium est præstantissimus cultus externus , quo Deus ab hominibus colitur : Ergo æquum est, ut non quiuis de populo , sed aliquis selectus & ad hoc peculiariter deputatus, tā suo quam aliorum nomine, sacrificium offerat.

Ethoc est quod ait Apostolus: *Assumptus ex hominibus*, id est, speciatim electus ac deputatus; *pro hominibus constituitur, ut offerat sacrificia*. Hinc Ozias Rex, cum electus & assumptus non esset ad sacrificandum, & tamen sacrificantis officium usurparet, à Deo punitus est. 2. Paralip. 26. 8. Et Saül eandem ob causam à Deo reiectus & regno priuatus est, 1. Reg. 13. 13.

2. At quinam in statu legis naturæ fuerunt sacerdotes? Si species sacrificium Agni Paschalis, omnes patres familias poterant illud legitimè offerre; ac proinde respectu illius sacrificij erant veri sacerdotes. Hoc patet ex iis, quæ capite præcedenti dicta sunt. Si species alia sacrificia, quæ in illo statu offerebatur, multi existimat à primogenitis, tanquam ordinariis sacerdotibus, offerri consueuisse. Quod tamen nolim ita generatim accipi, quasi soli primogeniti officio sacerdotali functi sint. Etiam alios, qui primogeniti non erant, aliquando functiones esse constat, ut Abelē & Abrahamum. Igitur hæc regula seruanda est, aut primogenitos, aut patres familias, aut eos etiam, qui peculiari Dei instinctu, ad hoc deputati erant, solitos fuisse sacrificium offerre.



LIBER SECUNDVS.

DE SACRIFICIIS MOSAICIS.



Sacrificia legis Mosaica tripliciter diuidi pos-
sunt. Primo, ratione materie. Secundo, ratione
formæ & finis. Tertio, ratione temporis. Ratione
materiæ, diuiduntur in victimas, immolationes
& libamenta. Ratione formæ ac finis in holocausta, hostias
pacifi

pacifcas, & hostias pro peccato. Ratione temporis, in iuge sacrificium, quod quotidie: & in alia Sacrificia, quæ in certis solemnitatibus offerebantur. De his hoc ordine dicendum est.

1. De victimis, immolationibus & libaminibus.
 2. De holocaustis, hostiis pacificis, & hostiis pro peccato.
 3. De iugi sacrificio.
 4. De aliis aliarum solemnitatum sacrificiis.
 5. Addam aliquid de igne, quo vrebantur sacerdotes in sacrificiis.
-

C A P. I.

De victimis, immolationibus, & libamentis.

1. **I**gitur ratione materiæ, triplicia erant sacrificia Mosaica. 1. Victimæ seu hostiæ. 2. Immolations. 3. Libamenta. Erat enim triplex materia à Deo designata, quæ in Iudæorum sacrificiis offerri poterat ac debebat. Primo, animalia, ut oves, capræ, hædi, boues, vituli, columbæ, passeræ, turtures. Secundo, fructus terræ, ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum videntium, & triticum. Tertio, liquores, ut sanguis, vinum, oleum, aqua. Nec aliquid his amplius. Cum ergo fiebat sacrificium ex animalibus, vocabatur *hostia* seu *victima*; cum ex fructibus terræ: *immolatio*: cum ex liquoribus, *libamen* seu *libamentum*.

2. Erat autem diuersus modus offerendi in hoc triplici rerum genere. Nam animalia offerebantur matatione & combustione: fructus terræ, immutatione: liquores, effusione. Porro illa immutatio fructuum erat etiam varia. Nam panis in frusta dissecabatur: simila, sartagine, clibano vel craticula coquebatur: sal vrebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum tor-

rebatur : triticum conterebatur.

3. Hic quæri potest, cur non alia animalia, nec alios fructus, nec alios liquores, licuerit offerre in sacrificiis Mosaicis, quæ iam enumerata sunt? Ratio dubitandi est, quia præter illa, sunt alia multo præstantiora. Optima autem quæque Deo offerenda sunt. Hinc sacrificium Abelis fuit Deo gratum, non autem Cain: quia Abel obtulit de primogenitis animaliū: Cain vero non de primitiis frugum, sed de communibus frugibus. *Respondeo*, in hac re debet nobis sufficere voluntas Dei, qui in lege Mosaica sic voluit & ordinavit. Nec tamen desunt rationabiles causæ, cur id factum sit: de quibus videri potest D. Thomas in 1.2. qu.102.& 103.

C A P. I I.

De holocausto, sacrificio pro peccato, & hostia pacifica.

1. **R**atione formæ ac finis, erat etiam triplex sacrificium in lege Mosaica. 1. Holocaustum. 2. Sacrificium pro peccato. 3. Hostia pacifica. Vide D. Thomas 1.2. quæst.102.art.2.ad 8.

2. Holocaustum erat sacrificium perfectissimum, quia in eo tota res oblata comburebatur, & in fumū resoluta, sursum ad Deum ascendebat, ita ut nihil inde cederet in usum humanum. Per hoc enim perfectissimè significabatur, omnia esse ipsius Dei, & omnia ad ipsius honorem referenda. Et in hūc finem erat potissimum institutum hoc genus sacrificij, tametsi interdum etiam pro peccato populi & Sacerdotum offerri poterat.

3. Sacrificium pro peccato, partim cremabatur,
partim

partim cedebat in vsum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Per hoc significabatur (ut notat D. Thomas) quod expiatio peccatorum fiat quidem à Deo, sed per ministerium sacerdotum. Solebat autem offerri pro peccatis quibusdam externis, & pro peccatis commissis per ignorantiam vel negligentiam circa ceremonias legis, Leuit. 4. & 5. Item pro peccato furti, periurij, calumniae. Leuit. 6. & 7. Porro sicut diuersa erant peccata, & diuersæ personæ, quæ peccabant: ita etiam diuersa erant sacrificia pro peccato. Aliud enim offerebatur pro periurio, aliud pro aliis peccatis. Similiter, aliud pro Pontifice, aliud pro Rege, aliud pro Synagoga, aliud pro priuatis hominibus.

4. Hostia pacifica poterat ex dupliculo titulo offerri.
 1. In gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis.
 2. Ad noua beneficia à Deo impetranda. Diuidebatur autem in tres partes: quarum una comburebatur ad honorem Dei: altera cedebat in vsum Sacerdotum: tertia in vsum offerentiū. Per hoc significabatur, quod salus hominis procedat à Deo, per directionem Sacerdotum, & cooperationem illius, qui saluatur.

5. Ab hac diuisione quæ iam explicata est, parum differt illa, qua sacrificium diuiditur in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium. *Latreuticum* dicitur, quod solum fit ad Deum colendum, testando eius principatum, & nostram seruitutem seu subiectionem. Hoc potissimum fit holocausto. *Eucharisticum* dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium*, pro beneficiis accipiendis. Vtrumque in veteri lege dicebatur Hostia pacifica. *Propitiatorium* est, quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis auertendis. Hoc idem est, quod sacrificium pro peccato.

6. Adhuc tria notanda sunt ex D. Thoma, q. 10. 2.

artic.3.ad 8.& 10.Vnum est,quod si conferamus hæc sacrificia Mosaica inter se ,ratione sanctitatis & præstantiæ:Primum locum obtineat holocaustum:Secundum,Hostia pro peccato:Tertium,Hostia pacifica pro beneficio accepto:Quartum, Hostia pacifica pro beneficio accipiendo.Ratio est,quia hæc sacrificia instituta sunt ad cultum & honorem Dei:Ergo quo maior vel minor est obligatio colendi Deum ,eo maior vel minor dignitas est sacrificij,quo illum colimus.Obligamur autem hoc ordine. 1. Propter infinitam ipsius maiestatem. 2. Propter offensam in ipsum commissam. 3. Propter accepta beneficia. 4. Propter sperata beneficia:Ergo iuxta hunc ordinem:Primo loco censi debet Holocaustum:Secundo,Hostia pro peccato: Tertio,Hostia pacifica pro beneficio accepto:Quarto,Hostia pacifica pro beneficio accipiendo.Idem ordo dignitatis colligi potest ex parte ipsius sacrificij. Nam holocaustum totum comburebatur in honorem Dei, cætera non item:Ergo ex hac parte cæteris erat præstantius.Hostia pro peccato partim cremabatur ad honorem Dei, partim comedebatur:sed à solis sacerdotibus,non à populo : & in solo atrio,non alibi :& ipso die sacrificij,non alio. Hostia pacifica pro beneficio accepto ,partim cremabatur ad honorem Dei, in quo erat pars Hostiæ pro peccato:partim comedebatur,nō tamen à solis Sacerdotibus,sed etiam à populo : nec in solo atrio,sed ubique in Ierusalem : & in hoc erat inferior.Hostia pacifica pro impetrando beneficio,poterat comedi,non solum à populo,& extra atrium,sed etiam extra diem sacrificij. Poterat enim conseruari in sequentem diem , & in hoc erat infra sanctitatem Hostiæ pro beneficio accepto.

7. Alterum est ,quod tametsi carnes victimarum sœpè venirent in usum Sacerdotum & populi, ut iam dictum

dictum est, nunquam tamen sanguis, aut adeps. Nam sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei: adeps vero adurebatur igne. Huius rei varias assignat causas D. Thomas. Duæ videntur esse præcipuae. Vna, ut Iudæi haberent typum seu figuram futuræ effusionis Christi in ara crucis, & feruentis illius charitatis, qua se obtulit Deo pro nobis. Altera, ut hac ratione discernerentur ab idololatris, qui comedebat adipes, & bibebant de sanguine victimarum, vt colligitur ex illo Deuter. 32. 37. *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum?* Quanquam iam multò ante, etiam in lege Naturæ, prohibitum erat fidelibus, vt non sumerent sanguinem animalium, ne quidem extra sacrificium, vt patet Genes. 9. 4. *Carnem eum sanguine non comedetis.* Quod etiam multo post ab Apostolis fuit renouatum in Concilio Apostolorum, Act. 15. 29. *Vt abstineatis ab immolatis simulachrum, & sanguine, & suffocato.*

8. Tertium est, quod tametsi pro diuersitate peccatorum, diuersa fuerint instituta sacrificia, vt etiam dictum est: non tamen seruabatur illa proportio, vt quo maius esset peccatum, eo præstantior esset res oblatâ in sacrificio: sed contra potius, quo maius esset peccatum, eo vilior species animalis offerebatur, vt ex Rabbi Mose notauit D. Thomas. Nam capra, quod est vilissimum animal, offerebatur pro idololatria, quod est grauissimum peccatum. Pro ignorantia vero Sacerdotis, offerebatur vitulus, pro negligentia principis, hircus, Leuit. 4. & sequentibus.

C A P V T I I I .

De iugi sacrificio, quod quotidie offerebatur.

1. **I**udæi ex præcepto diuino, iubebantur quotidie offerre duos agnos anniculos & immaculatos in holocaustum : alterum mane, & alterum vespere : Et cum iis similam conspersam oleo, & vinum pro libamine Hæc autem oblatio vocabatur iuge sacrificium, vel holocaustum sempiternum, quia quotidie siebat, & nunquam intermittebatur. Sic enim legimus Exodi 29.38. *Hoc est quod facies in altari : agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, unum agnum mane, & alterum vespere, decimam partem simile conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno uno. Alterum vero agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis.* Sacrificium est Domino oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, ubi constitutum, ut loquar ad te. Et Numer. 28.3. Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum : unum offeretis mane, & alterum ad vespere.

2. Hoc iuge sacrificium veteris Testamenti, fuit figura sacrificij Missæ in nouo Testamento. Primo, ratione rei oblatæ. Nam sicut in illo offerebatur agnus immaculatus: ita in hoc offertur Christus qui est agnus sine macula, Ioan. 1.29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Secundo, ratione loci. Sicut ille offerebatur in tabernaculo, ita hic in Ecclesia. Tertio, ratione durationis. Sicut ille offerebatur quotidie, ita

Chri

Christus offertur quotidie. Vnde etiam apud Daniel. c. 12. 11. vocatur iuge sacrificium. Quartò, ratione determinationis temporis. Sicut ille offerebatur manè & vesperè: ita Christus à principio mundi usque ad finē, Apocalyp. 13. 8. *Agnus, qui occisus est ab origine mundi:* non quidem re ipsa, sed per energiam. Quintò, ratione adiuncti. Sicut ille offerebatur cum simila & vino: ita Christus quotidie offeritur sub specie panis & vini.

C A P. I V.

De alijs aliarum solennitatum sacrificijs.

PRæter iuge sacrificium, quod quotidie offerebatur, erant alia sacrificia, quæ in certis anni solennitatibus offerri debebant ex prescripto legis. Prius ergo dicam de solennitatibus. Tum de earum sacrificijs. Erant autem octo solennitates apud Iudeos. 1. Sabatum, in memoriam creationis mundi. 2. Neomenia, seu initium mensis Lunaris, pro beneficio diuinæ gubernationis. Nam in principio mensis Lunaris, seu in Nouilunio, magis apparet diuina gubernatio in hisce inferioribus, quia tunc est magna mixtorum corporum mutatio. 3. Pascha in memoriam liberationis Iudeorum. Cui annexa erat solennitas azymorum, quæ prostridet Paschæ incipiebat in memoriam egressionis ex Ægypto. 4. Pentecoste, seu solennitas hebdomada rum, in memoriam legis datæ in monte Sinai. Lex enim data est quinquagesimo die, seu post explecionem septem hebdomadarum à festo Paschæ. 5. Festum Tubarum, in memoriam Isaac liberati. Cum enim Abraham vellet illum immolare, inuenit arietem inter vepres hærētem cornibus, quem ipsius loco immolauit.

He

Hebræi , vt illius facti memoriam retinerent , soliti erant tubis corneis clangere:ideoque festum tubarum , vel festum cornu appellatum est. 6. Festum expiacionis,in memoriam illius beneficij,quò Deus, ad intercessionem Mosis, propitiatus est peccato populi,vitulum adorantis. 7. Scenopegia,seu festum Tabernaculorum,in memoriam illius beneficij,quo Deus voluit Iudeos habitare in Tabernaculis , cum egressi ex Ægypto versarentur in solitudine. Hoc festum fuit solenne apud Iudeos. Tunc enim,sicut & in festo Paschæ & Pentecostes, omnes masculini sexus iubebantur venire in Ierusalem, iuxta illud Deuteron. 16. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei sui in loco , quem elegerit: in solennitate azymorum , in solennitate hebdomadarum, & in solennitate Tabernaculorum.* 8. Festum cætus atque collectæ , in quo (vt notat D.Thomas in 1.2.q. 102. artic. 4.ad 10.) colligebantur à populo ea , quæ erant necessaria ad expensas diutini cultus , & significabatur adunatio populi , & pax præstita in terra permissionis.

2. Vbi obiter notandum est , quatuor posteriora festa,id est,festum Tubarum,Expiationis,Tabernaculorum,& Cætus, incidisse in mensem septimum anni. Nam sicut dies septimus, ita mensis septimus,& similiter annus septimus apud Iudeos erat in honore. Et quidem primus dies septimi mensis habebat duo festa,alterum Neomeniæ,quod erat illi commune cum aliis mensibus:alterum tubarum,quod erat illi peculiare. Decimo die erat festum Expiationis : decimoquinto incipiebat Scenopegia,seu festum Tabernaculorum,& durabat per septem dies sequentes. Vigesimalm secundo die,erat festum Cætus atque Collectæ.

3. Hæc sufficient de festis. Nunc de sacrificiis dicen

dicendum est. Ac primò, Sacrificium Sabbati describitur, Num. 28. 9. his verbis : *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculatos, & duas decimas similes oleo conspersa in sacrificio, & liba quæ rite funduntur per singula Sabbathata in holocaustum sempiternum.*

4. Sacrificium Neomenie, ibidem, v. 11. In Calendis autem offeretis holocaustum Domino vitulos de armēto duos, arietem unum, agnos anniculatos septem immaculatos, & tres decimas similes oleo cōspersa in sacrificio per singulos vitulos & duas decimas similes oleo cōspersa per singulos arietes, & decimam decima simila ex oleo in sacrificio per agnos gulos. Holocaustum suauissimi odoris atque incēsi est Domino. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt media pars Hinc per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis.

5. Sacrificium Paschæ & azymorum, ibidem, v. 16. Mense autem primo, quartadecima die mensis, Pascha Domini erit, & quintadecima die solennitas. Septem diebus vescentur azymis. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea, offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculatos septem: & sacrificia singulorum ex simila, quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimam per agnos singulos, id est per septem agnos. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suauissimus Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum, &c. Nota hoc loco, non tā describi sacrificiū paschæ, seu Agni paschalisi, de quo supra satis actum est, quam dierum azymorum, qui proxime sequuntur diem paschæ.

6. Sacrificium Pentecostes, Leuit. 23.25. Numerabitis ergo septem hebdomadas plenas, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duobus decimis simili fermentata, quos coquetis in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suauissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos agniculos hostias paciforum. Cumque eleuauerit eos Sacerdos, cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum eius. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum.

7. Sacrificium festi Tubarum, Leuit. 23.24. Mensa septimo, prima die mensis erit vobis Sabbathum memoriale, clangentibus tubis, & offeretis holocaustum Domino. Quale autem debeat esse hoc holocaustum, diuersè explicatur, Num. 29.1. Mensis septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. Omne opus seruile non facietis in ea, quia dies clangoris est & tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem: & in sacrificijs eorum simila oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem. Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, præter holocaustum Calendarum cum sacrificijs suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Vbi nota, in festo Tubarum, tria fuisse sacrificia offerenda. Vnum, ratione festi Tubarum. Alterum, ratione Neomeniæ. Tertium, iuge sacrificium, quod quotidie offerebatur. Et hoc significat Scriptura, cum dicit, præter holocaustum Calendarum, & holocaustum sempiternum: quasi dicat, præter illa duo sacrificia, offeretis etiam illud tertium,

tiū, quod iam præscriptū.

8. Sacrificium festi Expiationis, Leuit. 23. 27. Decimo die mēsis septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Hoc holocaustum describitur, Num. 29. 7. his verbis: *Decima dies mens septimi erit vobis sancta, offeretisque holocaustum Domino vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: Et in sacrificijs eorum simila oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem: Et hircum pro peccato, absque bis, quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum cum sacrificio & libaminibus eorum.* Vbi iterum nota, præter hircum pro peccato, debuisse offerri, primò, vitulum, cuius sanguis inferebatur in sanctuarium: secundò, hircum alium, super quem Sacerdos confitbatur peccata populi, & sic emittebatur in desertum, Leuit. 1. 6. Tertiò, iuge sacrificium. Vide Lyranum in cap. 19. Numerorum.

9. Sacrificium Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, Leuit. 23. 34. A quintodecimo die mensis septimi, erunt feriae tabernaculorum septem diebus Domino. Septem diebus offeretis holocausta Domino. Hæc holocausta septem dierum sigillatim exprimuntur, Numer. 29. 13. his verbis: *Primo die offeretis vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: & in libamentis eorum simila oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, duas decimas arietibus duobus, & decimam decimæ agnis singulis: Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio & libamine eius. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, &c. Die 3. vitulos undecim, &c. Et sic deinceps.* Hoc solùm aduerte, quod illis septem diebus, omnia sacrificia sint eadem

eadem, excepto numero vitulorum. Nam primo die offerebatur tredecim vituli: secundo, duodecim: tertio, undecim: quarto, decem: quinto, nouem: sexto, octo: septimo, septem. Singulis autem diebus, duo arietes, quatuordecim agni, hircus pro peccato, & iuge sacrificium.

10. Sacrificium Cætus atque Collectæ, quod tria actis septem diebus Tabernaculorum, celebrabatur octauo die, describitur Leu. 23.36. Dies quoque octauus erit celeberrimus, & offeretis holocaustum Domino: est enim Cætus atque Collecta. Et Num. 29.35. Die octauo offeretis vitulum unum, arietem unum, agnos anniculo s immacula tos septem: sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. Sequitur communis clausula. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostijs pacifis. Vnde constat, generatim loquendo, duplia fuisse sacrificia: quædam necessaria ex prescripto legis: alia spontanea ex arbitrio & deuotione offerentium. De prioribus quæ fiebant in solennitatibus, dictum est hactenus. De posterioribus nihil necesse dicere in particulari, quia parum ad nostrum institutum.

C A P. V.

De igne, quo utebantur sacerdotes in sacrificiis.

1. **Q**vinque certa sunt ex Scripturis. Primum est, ignem quandam à Deo cœlitus datum esse, qui consumpsit primum sacrificium, quod obtulit Aaron in deserto, postquam Sacerdos à Moše consecratus est, quod

quod contigit anno secundo egressionis filiorum Israël ex Aegypto. Sic enim legimus Leuit. 9.24. Apparuit gloria Domini omni multititudini; Et ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, & adipes qui erant super altaria. Quod cum vidissent turbæ, landauerunt Dominum, ruentes in facies suas.

2. Alterum est, hunc ignem debuisse perpetuò nutritri & conseruari à Sacerdotibus, ne vñquam in altari deficeret. Leu. 6.11. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies. Et infra: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.*

3. Tertium est, non alio, quām isto igne potuisse uti Sacerdotes ad sacrificia. Hoc inde constat, quia Nabād & Abiu, filij Aaronis, à Deo puniti sunt, quod alieno igni vñ essent. Leuit. 10. 1. *Arreptisque Nabād & Abius filij Aaron thuribulis posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Vide D. Augustinum in questionibus super Leuiticum q. 31.

4. Quartum est, hunc ignē à secundo anno egressionis ex Aegypto, quo cœlitus à Deo datus est, perpetuò conseruatum fuisse in altari tabernaculi, usque ad tempus captiuitatis Babylonicæ, quo & templum incensum est, & Iudæi in Babylonem abducti sunt. Tunc enim in quodam puteo à Sacerdotibus absconsus est.

2. Machab. 1.19. Cum in Persidem ducerentur Patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant: acceptum ignē de altari, occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo cotutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. Hinc sequitur, ignem illum, in toto tempore, quod præcessit captiuitatem, toties mutasse locum, quoties tabernaculum cum altari de loco in locum translatum est. Fuit ergo per 39 annos in solitu-

dine. Postea cum filij Israël , transito Iordanē, veniſſent in terrām promissionis, fuit ſuccelluē in variis locis. 1. in Galgala. 2. in Silo. 3. in Nobe. 4. in Gabaon. 5. in Ierusalem ædificato iam Salomonis templo. Ibique mansit vſque ad captiuitatem, vt dictum eſt.

5. Quintum eſt, eundem ignem, post ſolutam captiuitatem, iubente Nehemia, quæſitum fuſſe à nepotibus eorum Sacerdotum, qui illum in puteo abſconde- rānt, nec tamen inuentum: ſed pro eo repertam fuſſe aquam crassam, quę, oblato ſacrificio, diuinitus in ignē conuerſa eſt. 2. Machab. 1. 20. Cum autem præteriiffent anni multi, & placuit Deo, ut mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes Sacerdotum illorum, qui ascenderant, miſit ad requirendum ignem: & ſicut narrauerunt nobis, non inuenierunt ignē, ſed aquam crassam. Et iuſſit eos haurire & adferre ſibi: & ſacrificia, quæ imposta erāt, ſacerdos Nehe- mias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erāt ſuperpoſita. Ut que hoc factum eſt, & tēpus adfuſit, quo Sol refuſit, qui prius erat in nubilo, accensus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Porrò diem illum, quo ignis hic diuinitus accēſsus eſt, habuerunt Iudæi pro ſolennitate, & deinceps festum, ſeu dies dati ignis appellata eſt. Et poſtea in ſecun- do templo, eodem igne vſi ſunt in ſacrificiis.

6. Porrò in hoc igne, de quo haec tenus dictum eſt, tria ſpectanda ſunt, quæ mysterium habent. 1. quod ſit à Deo datus. 2. quod illo ſolo & non alio licuerit vti in ſacrifi- ii. . quod cum periiffet, ex aqua crassa per mi- niſterium Sacerdotum, non ſine magno miraculo, re- cuperatus ſit. Hæc, inquam, tria mysterium habent. Ex primō diſcimus, ignē illum, quo nos in nouo Te- ſtamento perficimus ſacrificium, cæleſtem eſſe, nec alium, quam ignem diuinæ charitatis. Ex ſecundo nul- lum ſacrificium Deo gratum eſſe ſine hoc igne chari- tatis. 1. Corinth. 13. 3. Si tradidero corpus meum, ita ut ar- deam,

deam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ex tertio, hunc ignem charitatis aliquando in nobis peri-
re per peccatum mortale, quod habet se instar aquæ
crassæ: sed postea accedente absolutione sacerdotali,
non sine magno miraculo reuiuscere & recuperari.
De hoc igne loquitur Christus, Lucae 12. 49. *Igne n-*
veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Vi-
de Augustinum in Psal. 96.



LIBER TERTIVS.

DE SACRIFICIO IN STATV GRATIÆ.

TN nouo testamento duplex est sacrificium. Vnum cruentum, quo Christus in ara crucis Deo Patri oblatus est pro expiatione peccatorum nostrorum. Alterum incruentum, quo idem Christus quotidie sub specie panis & vini offeratur in altari, partim in memoriam cruenti illius sacrificij, partim ob alias causas, quas infra explicabo.

2. Hæc duo sacrificia dupliciter spectari possunt. Primò, quo ad rem oblata: & sic non sunt duo, sed vnum. Nam in utroque est vna & eadem res oblata, nempe Christus Dominus. Secundò, quo ad modum & ritum offerendi: & sic duo sunt. Nam Christus in altero oblatus est cruento modo, & sub propria specie humana, per realem sui occisionem: in altero, offeratur incruento modo, & sub specie aliena, sine reali sui occisione. De quo plura inferius.

3. Vtrumque sacrificium est quasi primarium prototypum, ad quod prefigurandum omnia alia sacrificia,

tam Mosaica, quam legis naturæ, ordinata sunt. Nam hæc omnia fuerunt typi seu figuræ sacrificij legis gratiæ, teste Apostolo, i. Corinth. 10:11. *Hæc omnia in figuris contingebant illis.* Et Hebr. 10:1. *Lex habuit umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem.* Hoc breuiter sic explicò. In sacrificio cruento, quo Christus in cruce oblatus est, multa spectari possunt. Primò, quod fuerit vnigenitus Dei filius. Secundò, quod à Patre oblatus in mortem. Terriò, quod Patri obsequentiissimus. Hæc tria optimè præfigurantur per sacrificiū Abrahæ, quo obtulit vnigenitum filium suum Isaac. Quartò, quod re ipsa occisus sit. Hoc significant omnia sacrificia Mosaica, quæ erant ex animalibus. Quintò, quod effusione sanguinis liberauerit nos à seruitute diaboli. Hoc significat sanguis agni Paschalis, qui super postes domorum aspersus, liberauit filios Israël à seruitute Pharaonis. Sextò, quod suo sanguine mundauerit nos à peccatis nostris. Hoc significat sanguis hircorum & aliorū animalium, teste Apostolo, Heb. 9:13. *Sienim sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Septimò, quod innocens occisus sit. Hoc significat mactatio Agni Paschalis. Vnde Isaías cap. 53:7. *Sicut ovis ad occasionem ducetur, & quasi agnus coram tendente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Octauò, quod tametsi innocens fuerit, tamen cum latronibus deputatus sit. Hoc significat hircus, qui loco Agni Paschalis offerri poterat. Hircus enim animal foetidum est. Nonò, quod crura eius non sint fracta. Hoc significat Agnus Paschalis, de quo scriptum est, Exodi 12:46. *Os nō comminuetis ex eo.* Decimò, quod se totum Patri obtulerit, nulla parte sibi reseruata. Hoc significant omnia holocausta.

4. Similiter in sacrificio incruento multa spectari pos-

possunt. Primò, quod quotidie offeratur in Eucharistia. Hoc significat iuge sacrificium de quo supra. Secundò, quod caro Christi verè comedatur in hoc sacrificio, *Ioan. 6.55. Caro mea verè est cibus.* Hoc significat caro agiri Paschalis, quæ verè comedebatur ab offerētibus. Tertiò, quod Christus sumatur sub specie panis & vini. Hoc significat sacrificium Melchisedech, qui panem & vinum obtulit. Quartò, quod comedenti ex hoc sacrificio debeant esse puri à peccatis, ne indignè accedant. *1. Cor. 11.29. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diuidicans corpus Domini.* Hoc significat sanctificatio filiorū Iob. Quintò, quod debeant habere veram contritionem & dolorem de peccatis præteritis. *1. Cor. 11.28. Prober autem seipsum homo.* Hoc significant laetucæ agrestes in esu agni Paschalis. Sextò, quod debeant esse parati ad currēdām viam mandatorum Dei, & contendere ad cælestia. Hoc significant Iudæi, qui accincti lumbis & calceati, & tenentes baculum in manibus, festinanter comedebant agnum Paschalem. Hæc ferè præcipua sunt. Alia minutiora omitto.

§. Et hactenus quidem generatim de utroque sacrificio noui Testamenti. Nunc speciatim hoc ordine de illis agendum est.

1. *De sacrificio Christi cruento in ara crucis.*
2. *De sacrificio Christi incruento in missa.*
3. *Quid Prophetæ de hoc sacrificio prædixerint.*
4. *Quid Christus de illo prædixerit, antequam esset institutum.*
5. *Quid Apostolus Paulus de eo sentiat.*
6. *Quid antiqui Patres.*
7. *Quid hoc tempore Christiani.*
8. *In quo consistat essentia illius.*
9. *An essentialiter differat ab omnibus aliis sacrificiis.*

10. *An essentialiter differat à Sacramento Eucharistiae.*
 11. *Quis sit principalis offerens in hoc sacrificio.*
 12. *Quem valorem & effectum habeat.*
 13. *An valor & effectus illius sit infinitus.*
-

C A P. I.

De Sacrificio Christi cruento in cruce.

1. **Q**uod oblatio & mors Christi in cruce, fuerit verum sacrificium, restatur Apostolus in epistola ad Hebræos per multa capita, & D. August. lib. i. contra aduersarium legis & Prophetarum c. 18. & alij. Nec ullus inter Christianos de hac re dubitat.

2. Potest autem sic explicari. Ad sacrificium requiruntur haec quinque. 1. sacerdos, qui offert. 2. viictima seu hostia, quæ offertur. 3. immutatio viictimæ oblatæ. 4. altare, in quo fit oblatio. 5. finis, propter quem fit. Hæc omnia locum habet in oblatione & morte Christi. Primò, quia ipse met fuit Sacerdos, & quidem summus Sacerdos, seu Pontifex secundum ordinem Melchisedech. Hebr. 5. 5. Secundò, sicut fuit Sacerdos, sic etiam viictima, 1. Cor. 5. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Obtulit enim seipsum: Eph. 5. 2. *Christus tradidit semetipsum pro nobis in oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Tertiò, obtulit se in morte & destruētionem, Phil. 2. 8. *Fatigatus obediens usque ad mortem.* Quartò, obtulit se in ara crucis, Heb. 12. 2. Quintò, obtulit se, tanquam sacrificium propitiatorium pro peccatis nostris. 1. Ioan 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi.* De hoc sacrificio eleganter Leo Papa epist. c. 84. *Quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit?*

3. Duo hic quæri possunt. Vnum est, cum in Christo duæ sint naturæ, diuina & humana, an secundum vnam eadémque naturam fuerit Sacerdos & victima? Aliqui ex Nouatoribus docent fuisse Sacerdotem secundum diuinitatem: victimam vero, secundum humanitatem: Rectius antiqui Patres, & victimam, & sacerdotem fuisse secundum humanitatem. Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 5. *Idem Sacerdos, idem & hostia: sacerdotium tamen & sacrificium humane conditionis est officium.* Et infra: *Nemo ergo, ubi ordinem cernit humane conditionis, ibi ius diuinitatis ascribat.* Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. *Solus Sacerdos, sacrificium, & templum, & hac omnia Deus, secundum rationem serui.* Similia habent Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum, cap. 3. & Cyrillus in epistola ad Nestoriū. Et ratio est manifesta, quia Sacerdos, qui offert Deo sacrificium, agnoscit illum superiorem, & externo cultu profitetur se illi subiectum esse: At Christus secundum diuinitatem, non agnoscit ullum superiorem nec ulli subiectus est: Ergo secundum diuinitatem non est sacerdos.

4. Alterum est, quomodo Christus secundum humanitatē potuerit simul esse sacerdos & victima, cum seipsum non interficerit aut mactauerit? *Respondeo.* Tametsi physicè seipsum non interficerit, tamē mortem & passionem ab aliis sibi illatā voluntariè suscepit; & hoc modo se in sacrificium Deo obtulit. *Dices:* Hoc etiam faciunt omnes martyres; & tamen non ideo sacerdotes sunt. *Respondeo.* Est magna differentia inter Christum & martyres. Primo, quia Christus adeo voluntariè suscepit mortem, ut posset eam euitare, si vellet. Hoc martyres non possunt. Secundo, Christus à Deo constitutus est & consecratus, ut hoc modo se offerret pro peccatis totius mundi. Martyres non item.

Hinc Leo Papa epist. cap. 4. 83. *Quamuis multorum sanctorum in conspectu Domini, pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Martyres enim non ideo offerunt se voluntarie in mortem, ut expient aliorum peccata (hoc enim solius Christi est) sed ut profiteantur fidem in Christum , qui sua morte & passione, sufficienter satisfecerit pro peccatis aliorum.*

C A P V T I I.

De sacrificio Christi incruento in Missa.

1. **H**oc sacrificium incruentum , quod Christus in ultima cœna instituit,& quod quotidie in Ecclesia peragitur , partim conuenit cum sacrificio cruento , partim ab eo discrepat, ut supra insinuauit. Conuenit tripliciter. Primo in re oblatæ. In utroque enim offertur Christus per modum victimæ. Secundo in principali offerente. Nam Christus, qui in utroque est victimæ,est etiam in utroque principalis Sacerdos, seu Pontifex. Tertio,in fine. Nam sicut olim in cruce, ita nunc in altari offertur pro peccatis nostris:tametsi diuerso modo,ut infra explicabimus.

2. Discrepat verò quintupliciter. Primo,in externa specie. Nam Christus in cruce sub propria forma humana:in altari,sub specie panis & vini offertur. Secundo,in modo & ritu offerendi. Nam in cruce per realē mortem : in altari per mysticam consecrationem immolatur. Tertio, ex parte ministri. Tametsi enim Christus utrobique sit principalis offerens,ut dictum est:tamen in altari utitur ministerio Sacerdotum, quo nec in ultima cœna,nec in cruce usus est. Quartò, ex parte effectus. Nam fructus ille qui per cruentum sacrificium

sacrificium acquisitus est , applicatur nobis partim per sacrificium incruentum, partim per sacramenta & alia media, ut docet Concilium Tridentinum sess. 22. c. 2. & nos infra latius. Quintò, ex parte significationis. Nam sacrificium crucis non est typus, seu figura vlliū alterius sacrificij , sed omnia alia sunt typi seu figuræ illius. At sacrificium incruentum, quod quotidie in missa offertur, est repræsentatio cruenti, quod in cruce peractum est. 1. Cor. 11. 24. *Hoc facite in meam com-memorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc , & calicem bibetis , mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* An autem hæ differentiæ sint essentiales, an tantum accidentales, cap. 9. explicandum est. Inde enim constabit , an cruentum & incruentum sacrificium sint duo sacrificia essentialiter distincta ? an potius vnum secundum essentiam , & diuersum secun-dum accidentia.

C A P V T III.

Quid Prophetæ de hoc sacrificio prædixerint.

1. **H**oc incruentum sacrificium , quod quotidie in Ecclesia Catholica offerri diximus, non so-lum diuersis typis ac figuris in veteri Testamento ad-umbratum fuit, ut supra ostensum est : sed etiam mul-tis Prophetarum vaticiniis pronuntiatum. Ex iis tria potissimum explicabo.

2. Primum est Isaiæ, qui prædixit , in nouo Testa-mento fore Sacerdotes, altaria, sacrificia. De Sacerdo-tibus sic scribit , cap. 66. 19. *Mittam ex eis, qui saluati fuerint ad Gentes in mare, in Africam, Lydiām, Italiam & Græciam, ad eos qui non viderunt gloriam meam, & an-nunciabunt gloriam meam Gentibus , & adducent omnes*

R r 5 fratres

fratres vestros de cunctis gentibus Domino, ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus. Et assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas. Hæc verba sic explicada sunt. Mittam ex eis, qui saluati fuerint, id est, mittam Apostolos & alios discipulos, qui ex Iudeis credituri sunt in Christum. Quò? Ad gentes in mare, in Africam, Lydiām, Italiam, Græciam, id est, ad cōuertendos Gentiles, qui toto orbe diffusi sunt. Qui non audierunt de me, quia non habuerūt legem & Prophetas à quibus audire possent de vēturo Messia, & non viderunt gloriam meam, id est, Christum docentem, & miracula facientem, & annunciatum gloriam meam gentibus, id est, gloriam resurrectionis & ascensionis meæ, & præterea miracula facta in confirmationem meæ resurrectionis, & adducēt omnes fratres vestros, id est, Christianos, de cunctis gentibus: Ad montem sanctum Ierusalem, id est, ad Ecclesiam Christi. Et assumam ex eis, id est, ex gentilibus iam conuersis, in Sacerdotes, quod factum est in principio Ecclesiæ, quando Clemens, Dionysius Areopagita, & nonnulli alij gentiles, post conuersionem, ordinati sunt Sacerdotes & Episcopi in Ecclesia Christi.

3. Iam de altaribus & sacrificiis sic habet, cap. 19.
In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. Et paulò post: *Et cognoscant Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & muneribus.* Hic per Aegyptios intelligi possunt, vel veri Aegyptij, vel generatim omnes gentiles. Est ergo hic sensus, *In die illa, quando prædicabitur Euangelium Christi, erit altare in medio terra Aegypti, id est, altare Christi erit in medio gentium.* Non enim ad solos Iudeos pertinebit. *Et titulus Domini iuxta terminum eius, erit in signum & in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti.* Quod optimè

mē intelligitur de titulo , quem Pilatus affixit cruci Christi : Iesū Nazarenus Rex Iudæorum. Nam hic titulus toto orbe terrarum erectus est , in signum & testimonium , quod vbique Christus prædicetur & agnoscatur. *Et cognoscant Aegyptij Dominum in die illa,* per fidem : *& colent eum in hostiis*, id est, in sacrificiis, in sacrificio Missæ, quod quamvis vnicum sit, tamen multis hostiis ac oblationibus in veteri Testamento fuit præfiguratum, & ideo plurali numero, hostiarum nomine designatur.

4. Hinc constat, Isaiam vaticinatum esse de Sacerdotibus Christianis, qui in altari oblatur erant sacrificium Missæ. Quod sic ulterius confirmo. In novo Testamento, iuxta Isaiam, sunt Sacerdotes, altaria, sacrificia. Hoc vel intelligi debet de solo Christo Sacerdote , & eius cruento sacrificio in ara crucis ; vel de omnibus Christianis, qui offerunt Deo in ara cordis sui sacrificia spiritualia , id est, orationes & alia bona opera: vel denique de quibusdam Christianis, qui speciatim ad hoc deputati sunt, ut offerant in altari sacrificium in cruentum, quod in ultima cœna à Christo institutum est. Præter hæc tria membra , non video quartum. At non potest intelligi primo modo , de solo Christo , quia Isaias loquitur de Sacerdotibus , qui assumti sunt ex gentilibus ad fidem conuersis. Hoc Christo accommodari non potest. Nec secundò , de omnibus promiscuè Christianis , quia Isaias distinguit Sacerdotes Christianos à reliquo populo Christiano, cùm ait ; *Assumam ex eis Sacerdotes* : Ergo per Sacerdotes non intelligit omnes Christianos , sed eos duntaxat , qui peculiariter assumti à Deo sunt ad sacrificandum. Atque hoc est tertium membrum , quod probandum erat. Eodem sensu locutus est Ieremias , capite 33. 18.

De

De Sacerdotibus non interibit vir à facie mea , qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificiū, & cedat victimas, omnibus diebus; nempe usque ad mundi consummationem.

5. Alterum vaticinum est Danielis, qui prædictum fore, ut Antichristus in fine mundi auferat iuge sacrificium Christianorum. Sic enim habet cap. 8.11. Usque ad principium fortitudinis, magnificatum est, & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Et iterum c. 12.11. Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatione in desolationes, dies mille ducenti nonaginta. Priori loco agit de Antiocho Rege, qui abstulit iuge sacrificium Iudeorum: posteriori de Antichristo, qui ablaturus est iuge sacrificium Christianorum. Sicut enim Antiochus fuit figura seu typus Antichristi (ut colligitur ex Dan. 11.36. & ex Apocal. 13. & ex Apostolo 2. Thess. 2.) sic iuge sacrificium Iudeorum fuit figura iugis sacrificij Christianorum, ut supra notatum est. Porro per hoc iuge sacrificium Christianorum non potest aliud intelligi, quam sacrificium Missæ, quod quotidie in Ecclesia Christi, sine ulla intermissione, offertur, ut rectè preter alios notauit Hippolytus Martyr in lib. de Antichristo. Nam quod aliqui Nouatores dicunt, intelligi prædicationem Euangelij, quæ ab Antichristo impedietur, ridiculum est. Debet enim intelligi de eo sacrificio, cuius figura fuit iuge sacrificium Iudeorum, in quo quotidie duo agni offerabantur Deo in holocaustum: At iuge sacrificium Iudeorum non fuit figura prædicationis Euangelij, sed veri alicuius sacrificij. Sicut enim ipsum erat verum ac propriè dictum sacrificium, quod nemo habetenus negauit, sic debuit esse figura veri & propriè dicti sacrificij, alioqui non esset apta proportio inter figuram & figuratum. Quis autem unquam dixit, prædica

dicationem Euangelij esse verum & propriè dictum sacrificium ? aut quam proportionem habet hæc prædicatio cum duobus agnis , qui quotidie immolabantur.

6. Tertium vaticinium , & quidem luculentissimum, est Malachie, qui prædictus, Sacerdotes Christianos oblaturos Deo mundum sacrificium omni tempore : & ex hac parte præfuit illis Sacerdotibus Moysæicis, qui sepe immundum offerebant. Verba Malachiæ c. i. 6. sunt hæc : *Hæc dicit Dominus exercituum, ad vos, o Sacerdotes, qui despiciatis nomen meum, & dixistis ; In quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimuste? In eo quod dicitis, mensa Domini despecta est. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Et infra v. 10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.*

7. Hic clarè vides, Malachiam agere contra Sacerdotes Iudeorum, & duo prædicare. 1. illorum sacrificia esse abroganda. 2. successorum nouum sacrificium Christianorum. In priori attingit reiectionem seu reprobationem Iudeorum; in posteriori, electionem seu vocacionem Gentium. Sed verba Malachiæ explicanda sunt. *Offertis super altare meū panem pollutum, id est, in sacrificijs vestris offertis panem, qui non est factus & paratus secundum præscriptum legis. Et dicitis, in quo polluimus te? id est, polluitis seu contemnitis me, offerendo polluta munera contra præscriptum legis, & tamen quasi nihil agatis mali, queritis, in quo me polluatis? In eo, quod*

*quod dicitis, mensa Domini defecta est, id est, In eo pol-
luitis me, quia dicitis non esse magni momenti, etiam si
panes, qui offeruntur in altari, non sint facti secundum
legem. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum
est? id est, an non polluitis & contemnitis me, quando
vilissima quæque ex animalibus offertis mihi, cum ta-
men prohibuero vobis, ne cæca, clauda, & languida
mihi offerretis? Leu. 22. 22. Non est mihi voluntas in vo-
bis, & munus non suscipiam de manu vestra, id est, sacrificia
vestra, quæ hoc modo contra legem offertis, mihi
non placent. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est
nomen meum in Gentibus, id est, Christiani, qui ex Gentibus
ad fidem conuertentur, maiori religione colent
nomen meum toto orbe terrarum, quam vos hacte-
nus feceritis in Iudæa; Et in omni loco sacrificatur &
offertur nomini meo oblatio munda, id est, ubique mihi of-
feretur a Christianis, non pollutum sacrificium, quale
vos offertis, sed mundum.*

8. Hactenus verba Malachiæ. Nunc questio est,
quid intelligat per sacrificium seu oblationem mun-
dam, quam Christiani Deo offerunt? Catholici inter-
pretantur de visibili & propriè dicto sacrificio, quod
consistit in oblatione corporis & sanguinis Christi
sub specie panis & vini. Caluinistæ contra, de spiritali
& impropriè dicto sacrificio, quod consistit in bonis
operibus, ut in oratione, gratiarum actione, patientia,
eleemosyna. Sed facile refelluntur his argumentis.

9. Primum, Malachias loquitur de oblatione mun-
da: at bona opera Christianorū, secundū Caluinistas,
non sunt munda, sed potius sordes, inquinamēta, ma-
culæ. Sic enim loquitur Caluinus libro 3. Inst. c. 12. §. 4.
*Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamēta & sor-
des: & quæ iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est
iniquitas.* Et c. 15. §. 3. *Nihil ab homine exit, quantumuis*

perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Ego bona opera, saltem secundum Caluinistas, non possunt vocari munda oblatio, de qua Malachias loquitur.

10. Secundò, Malachias opponit oblationem nostram oblationi Iudeorum: & hanc vocat pollutam, illam mundam. Quero nunc, an opponat vnam alteri ex parte offerentium tantum, an potius ex parte rei oblatæ? Non ex parte offerentium tantum, quia sicut Sacerdotes Mosaici poterant esse mali & polluti varijs peccatis: sic etiam Sacerdotes Christiani. Nec enim omnes sancti & mundi sunt. Ego ex parte rei oblatæ debet esse differentia seu oppositio. Hæc autem in eo consistit, quod panes, libamina, & animalia, quæ offerebantur in veteri Testamento, tametsi non semper essent polluta, erant tamen pollutioni obnoxia. Sæpe enim contingebat, habere aliquid vitij seu defectus, ut sacrificio non essent apta. Et hoc est, quod conqueritur Deus per Prophetam: *Offertis super altare meum panem pollutum.* Et iterum: *Offertis cœcum, claudum & languidum, ad immolandum.* Id autem, quod offertur in nouo Testamento, neque re ipsa pollutum est, neque pollutioni seu immunditiæ obnoxium. Et quid aliud hoc esse potest, nisi corpus & sanguis Christi: Nam reliqua omnia, quæ à Christianis offerri possunt, tametsi sæpe bona & munda sunt (quod negat Caluinus) eiusmodi tamen sunt, ut pollui & contaminari queant: non minus, quam panes & animalia Iudeorum.

11. Tertiò, Malachias non solùm loquitur de munda, sed etiam de noua oblatione, quę successura sit sacrificio Mosaico, & futura propria Christianorum: At bona opera fidei, spei, charitatis, patientie, orationis, neque noua sunt, neque succedunt sacrificio Mosaico, neque sunt propria Christianorum: cum fuerint vñitata

visitata ab initio mundi usq; ad nostra tempora, à Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & eorum successoribus: Ergo bona opera non sunt oblatio munda, de qua loquitur Malachias. Respondet Hutterus in Triumpho contra Bellarminum, pag. 211. per oblationem mundam non intelligi bona omnia opera, quæ faciunt Christi ani, sed prædicationem Euangelij, quæ dicitur noua, non simpliciter, sed comparatè, quia nimis clarior & illustrior est in noua lege, quam in veteri. Sed hic homo, & sibi ipsi contradicit, & nihil aliud, quam somnium suum narrat. Nam paulo post, pag. 214. expressè ait, omnes pios ac fideles noui Testamenti offerre Deo sacrificium mundum, de quo loquitur Malachias. Cōstat autem non omnes prædicare Euangelium. Quomodo ergo prædicatio Euangelij potest esse sacrificiū, de quo loquitur Malachias? Non cohærent ista inter se. Deinde quæ est proportio inter sacrificia Iudeorum & prædicationem Euangelij? aut quæ hæc conneccio est: *Sacerdotes Mosaici offerunt mihi panes pollutos & animalia cœca, clauda & languida: At Christiani prædicabunt Euangelium?* Quanto melior & accommodatior hæc nostra est: *Sacerdotes Mosaici offerunt mihi victimas pollutas: Christiani offerent sanctam & impollutam:* In hac enim confertur sacrificium cum sacrificio, pollutum cum impolluto: quod in illa non sit.

12. Quarto, accedit autheritas SS. Patrum, qui variatum Malachiæ explicant de sacrificio Missæ. Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphono cōtra Iudeos, sic habet: *De nostris Gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificijs, hoc est, pane Eucharistie, & poculo similiter Eucharistie, iam tum locutus Malachias, prædictis nos quidem glorificare nomen eius, vos autem prophanare.* Quid clarius dici potuit? Similia habent alij Patres citati apud Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 10. & apud Valentiam

tiam Tom. 4. disput. 6. quæst. 11. pag. 1. Nec opus est eos hic recensere , quia infra c. 6. de sententia Patrum ex professo dicturi sumus.

C A P. I V.

Quid Christus de hoc Sacrificio prædixerit, antequam ab ipso institutum esset.

1. **N**on solum Prophetæ in veteri Testamento, sed etiam Christus in Euangelio prædictum sacrificium in Ecclesia, quod certè non potest esse aliud , quām sacrificium incruentum quod in vltima cœna ab ipso institutum est. Hoc colligitur ex colloquio Christi & mulieris Samaritanæ, quod habetur Ioan. 4. 19. his verbis: *Dicit ei mulier: Domine, video, quia Prophetæ tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neq; in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudeis est: Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

2. Hic constat Christum loqui de adoratione non quacunque, sed de solenni & publica, quæ sit per sacrificium propriè dictum, ut à multis notatum est. Antequam hoc ostendam, notandum est , usitatum esse in Scripturis, ut per adorationem intelligatur sacrificium, ut patet ex illo Ioan. 12. 20. *Erant autem quidam gentiles ex his, qui ascenderat, ut adorarent in die festo. Et Act. 8. 27. Eunuchus venerat adorare in Ierusalem.* In his locis, adorare est idem , quod sacrificare. Ideò enim ex

longinquis regionibus veniebant homines in Hierusalem , quia non licebat alio loco sacrificium offerre. Adoratio autem simplex, sicut etiam preces, poterant vbiique fieri. Idem patet ex verbis Abrahami , qui cum iussus esset sacrificare filium suum , & iam instructus gladio & igne ad sacrificandum procederet , dixit famulis suis , Gen.c.22.v.5 . *Expectate hic cū asino. Ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Vbi etiam adorare, est idē, quod sacrificare : quia si loqueretur de simplici adoratione, non fuisset opus ire ad montem, quia illa potuisset vbi- que fieri. Loquitur ergo de sacrificio , quod illi à Deo imperatum erat.

3. Nunc, quod Christus eodem modo loquatur de adoratione publica & solenni , quæ fit per sacrificium propriè dictum, probatur ex scopo & occasione totius colloquij, hoc modo. Samaritana, aduertens Christum esse Prophetam, proposuit illi quæstionem de schisma- re Iudæorum & Samaritanorum quæ erat hæc : utri rectius ficerent ac sentirent Samaritani, qui adorabant in monte Garizim iuxta oppidum Sichimorum , an Iudæi , qui contendebant, non ibi , sed Hierosolymis in templo adorandum esse ? At hæc quæstio intelligebatur de adoratione per sacrificium. Hoc constat ex Iosepho libr.ii. Antiq.c.7.& 8. vbi scribit de origine il- lius schismatis inter Iudæos & Samaritanos , quæ fuit eiusmodi. Mortuo Salomone diuisum est regnum in duas partes. Vnam, quæ constabat duabus tribubus, retinebat Roboam , filius Salomonis : Alteram quæ constabat decem tribubus , abstraxerat Ieroboam, seruus Salomonis. Prior pars vocabatur regnum Iuda : posterior regnum Israël. Igitur Ieroboam , fa-cta hac separatione , & constituto iam nouo regno,

capit

cœpit timere , ne decem tribus , quas sibi subiecerat , si singulis annis irent Hierosolymam ad offerendum sacrificium iuxta legem à Deo datam , iterum coniungerent se dñabus tribubus & se deserto , ad Regem Roboam , tanquam legitimum Dominum , delaberentur . Ut ergo hoc impediret , curauit conflare duos vitulos , quorum alterum in Bethel , alterum in Dan collocavit , & per sacrificia pro Diis adorari iussit . Atque ita factum est , vt nemo deinceps Hierosolymam , sacrificij offerendi causa proficisciatur . Hinc prima orta est dissensio religionis , quæ longè post , in hunc modum confirmata est . Post captiuitatem Babylonicam , cum Rex Persarum Darius rerum potiretur , fuit Hierosolymis , quidam Iudæus ex genere Sacerdotali , nomine Manasses Iaddi , summi Sacerdotis frater , qui in vxorem duxit filiam Sanaballetis Cuthæi , qui sub Dario tunc erat præfetus Samariæ . Propter hoc matrimonium cum gentili fœmina contractum , prohibitus est à fratre suo , & à cæteris Iudæis , fungi officio Sacerdotali . Igitur accessit Sanaballetem ; & prætendit se non posse filiam ipsius , quam sibi desponderat , retinere , eo quod propter illam arceretur à dignitate Sacerdotali . Malle se vxore , quam hac dignitate priuari . Sanablettes , ut satisfaceret homini , promittit se ædificaturum Tempulum in monte Garizim , æquale templo Ierosolymitanó : & in eo summum Sacerdotium se illi datum pollicetur . Quod etiam factum est . Itaque ab eo tempore cæperunt Samaritani in illo Templo Sacrificia offerre , sicut Iudæi in Templo Ierosolymitanó offerebant .

4. Ex dictis manifestum est , quæstionem de adoratione , quæ agitabatur inter Iudæos & Samaritanos ,

semper intellectam fuisse de adoratione per sacrificium, quæ certo loco erat alligata: non de adoratione simplici, quæ poterat vbiique fieri. Eam ergo Samaria-tana proposuit Christo, tanquam Prophetæ dissoluendā. *Domine, inquit, video, quia Prophetæ es tu.* Quid sentis de hac nostra controuersia? Aut quis locus ille est, in quo oportet adorare? *Patres nostri in hoc monte adorauerunt.* At Iudæi dicunt, *quia Ierosolymis est locus, in quo adorare oportet.* Quid tibi videtur? Respondit Christus: *Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; Ierosolymis adorabitis Patrem,* id est, veniet tempus, quando adoratio per sacrificium, neque huic monti, neque Ierosolymis erit alligata: sed in omni loco offeretur Deo sacrificium. Quod etiam factum est. Vbiique enim offertur incruentum Christi sacrificium. Et hoc est, quod prædictum Malachias: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.*

5. Dices: Christus videtur loquutus esse de adoratione interna, quæ fit per fidem & adorationem, non de externa, quæ fit per sacrificium. Hoc colligitur ex illis verbis, quæ sequuntur; *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Respondeo. Christus sine dubio locutus est de ea adoratione, de qua rogabatur à Samaritanæ: rogabatur autem de externa, quæ fit per sacrificium; de ea igitur locutus est. Nec obstant illa verba: *In spiritu & veritate.* Imò maximè ad rem nostram faciunt: quod sic ostendo. Litigabant Iudæi & Samaritani de loco sacrificij. A Christo quærebatur quid sentiret. Is, quia videbat ex utraque parte esse aliquid culpæ, utrique responsum accommodauit. In Samaritanis erat hæc culpa, quod falsis Diis sacrificarent. Hoc insinuat Christus, cum ait: *Vos adoratis, quod nescitis:* Iudæi tametsi vero Deo sacrificia offerrent, nihil ta-men

men aliud , quām carnem animalium offerebant , idque ex mera ceremonia , sine interno religionis ac pietatis affectu : quod s̄aepē à Prophetis obiectum illis est , & à Christo repetitum in Euangelio : *Populus hic labiis me honorat, cor autem longè est à me.* Igitur in sacrificiis Samaritanorum erat error seu falsitas , quia ignorabant verum Deum : in sacrificiis Iudeorum erat caro sine spiritu , quia offerebant carnes animalium , sine spiritu fidei ac deuotionis . Vtrosque taxat Christus , cum ait ; *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Nam spiritum carni , veritatem falsitati opponit . Est ergo hic sensus . *Veri adoratores* , id est , Christiani qui verum Deum legitimè colent : non falsum , vt Samaritani : nec verum illegitimè , vt Iudei : adorabunt Patrem , id est , sacrificabunt Deo , *in spiritu deuotionis , & in veritate agnitionis* : non sola carne , vt Iudei : nec in errore , vt Samaritani . Et sic res habet . Quod autem Christus loquatur de sacrificio Missæ , quod in ultima cœna ab ipso institutum est , dubitari non potest . De quo enim alio loqueretur ? Hoc magis ex sequenti capite constabit .

C A P. V.

Quid sentiat Apostolus Paulus de hoc sacrificio.

1. IN Apostolo Paulo habemus duo illustria loca pro sacrificio Eucharistie . Alter est , 1. Cor. 10. 15. *Fugite ab idolorum cultura . Calix benedictionis cui benedicimus , nonne communicatio sanguinis Christi est ? & panis , quem frangimus , nonne participatio corporis Domini est ? Videte Israël secundum carnem : nonne qui edunt hostias*

participes sunt altaris? Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.

2. Hic agnoscit Apostolus triplicem mensam, seu triplex altare. Vnum, in quo gentiles sacrificant idolis seu dæmoniis. Alterum, in quo Iudæi offerunt Deo victimas ex animalibus. Tertium, in quo Christiani offerunt corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini. At quorsum? Vult probare Corinthios debere abstinere ab idolotrythis, id est, à carnibus, quæ idolis seu dæmoniis sunt oblatæ. Hoc sic probat: Qui comedit de victimis, quæ in altari idololatrico immolatae sunt idolis seu dæmoniis, ille est particeps altaris seu sacrificij idololatrifici, & consequenter est cultor idolorum seu dæmoniorum: Sed vos, cum sitis Christiani, non debetis esse participes altaris seu sacrificij idololatrifici, neque cultores idolorum (*fugite, inquit, ab idolorum cultura.*) Ergo non debetis comedere de victimis, quæ immolatae sunt idolis. Maiorem probat à simili: Et vtitur dupli exempli altero Christianorum, altero Iudeorum, hoc modo: Christiani, qui sumunt de corpore & sanguine Christi, sunt participes altaris seu sacrificij Christi. At Iudæi, qui comedunt de victimis Mosaicis, sunt participes altaris seu sacrificij Mosaici: Ergo similiter, qui comedunt de victimis, quæ immolatae sunt idolis, seu dæmoniis, sunt participes altaris seu sacrificij idololatrifici. At nemo potest simul esse particeps altaris Christi & idolorum: Ergo, si vultis esse participes altaris Christi, debetis abstinere ab altari & sacrificio idolorum: aut si ab hoc non abstinatis,

netis, non potestis esse participes altaris Christi. Hic est discursus Apostoli. Ex quo patet, non minus apud Christianos, quam apud Iudeos & gentiles esse altare, sacrificium, & participes de sacrificio. Et quidem sacrificium Christianorum consistere in oblatione corporis & sanguinis Christi, sub specie panis & vini. Hoc enim expressè significat Apostolus, cum ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

3. Alter locus est Hebr. 7.12. *Translato sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Vbi sub nomine sacerdotij comprehenditur etiam sacrificium: & per legem intelligitur lex diuini cultus. Est ergo hic sensus verborum Apostoli: Sacrificium & lex diuini cultus ita connexa sunt, ut unum sine altero esse non possit: & uno translato, alterum quoque transferri necesse sit. Vnde sicut est triplex lex, quae prescribit diuinum cultum: Una naturalis, ab Adamo usque ad Mosen; Altera Mosaica, a Mose usque ad Christum: Tertia Euangelica, a Christo usque ad finem mundi: ita triplex debet esse sacrificium: unum, quo colitur Deus iuxta legem naturalem: alterum, quo colitur iuxta Mosaicam: tertium, quo iuxta Euangelicam. Et quotiescumque lex diuini cultus mutatur, toties sacrificium mutari necesse est.

4. Hoc clarius sic explico. Sicut homo constat duplii parte, nempe anima & corpore; ita lex prescribit illi duplicem cultum, quem tenetur Deo exhibere: unum internum, alterum externum. Internus consistit in actu fidei, spei, timoris, dilectionis. Externus in solo sacrificio. Nam reliqui externi cultus, quisunque illi sint, possunt etiam hominibus exhiberi.

Solum sacrificium peculiariter institutum est ad collendum Deum. Eo igitur sublato, nihil reliquum est, quo Deum speciali ratione colamus. Hinc sequitur, legem, quæ præscribit externum cultum Dei, non alium præscribere, nisi sacrificium, quia nullus alias est. Deinde, eiusmodi legem, nec mutari, nec abrogari, nec restaurari posse, nisi mutato, aut abrogato, aut restaurato sacrificio.

5. Hinc tandem ita concludo. Vbicunque est peculiaris lex & religio, ibi debet esse peculiare sacrificium, quo Deus ex præscripto illius legis colitur: sed apud Christianos est peculiaris lex & religio, nempe Euangelica, distincta à lege naturali & Mosaica: Ergo apud Christianos est peculiare sacrificium, quo Deus colitur, distinctum à naturali & Mosaico. At hoc non potest esse aliud, quam incruentum sacrificium Eucharistiæ: Ergo illud est. Maior patet ex dictis. Minorem probo, quia si esset aliud, maximè esset cruentum, quod semel in cruce peractum est. Sed non est. Primò, quia illud à Christo, tanquam communi redemptore, pro omnibus oblatum est, tam iis, qui vixerunt in lege naturæ & Mosaica, quam qui viuunt in Euangelica. *Pro omnibus enim mortuus est Christus.* Sicut ergo præter illud, fuit aliud in lege naturæ, & aliud in Mosaica: sic etiam aliud est in Euangelica. Et sicut sacrificium legis naturæ & Mosaicæ erat typus seu figura futuri sacrificij cruenti (*Hebr. 10.*) sic nostrum est imago seu repræsentatio præteriti (*1. Corinth. 11.*) Secundò, quia lex diuini cultus debet obligare eos, qui subiecti sunt legi. Sicut ergo Patriarchæ & Prophetæ, qui subiecti erant legi naturali & Mosaicæ, non obligabantur Deum colere, nisi per sacrificia, quæ repræsentabant futurum sacrificium crucis:

ita

ita nos, qui subiecti sumus legi Euangelicæ, non obli-gamur Deum colere, nisi per sacrificium Eucharistiae, quod repræsentat præteritum sacrificium crucis. Er-go signum est, quod lex diuini cultus, tam in veteri, quam in nouo Testamento, non respiciat immediate cruentum sacrificium crucis; sed potius alia sacrificia, quatenus illius, siue futuri, siue præteriti, repræ-sentativa sunt.

C A P V T V I.

*Quid sentiant antiqui Patres de hoc
sacrificio.*

1. Antiqui Patres tam disertè & clarè loquuntur de sacrificio Eucharistiae, in quo Christus sub specie panis & vini quotidie offertur in Ecclesia, ut nemo, qui illos aspicerit, de ipsorum sententia dubitare possit. Hoc quinque modis ostendo.

2. Primò, quia quando loquuntur de Eucharistia, passim usurpant has voces, *sacrificium, oblatio, immola-tio, hostia, viætima, offerre, sacrificare, immolare*. Ita Andreas Apostolus, Hippolytus martyr, Ambrosius, Gre-gorius, Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus, Cyril-lus, Leo, Fulgentius, & alij, apud Bellarminum lib. i., de Missa, cap. 15.

3. Secundò, quia requirunt altaria ad celebran-dam Eucharistiam. Altaria autem non eriguntur, nisi ratione sacrificij. Supponunt ergo, Eucharistiam esse sacrificium. Ita Cyprianus, Eusebius, Optatus Mile-uitanus, Ambrosius, Nazianzenus, Nyssenus, Chry-so-stomus, Hieronymus, Augustinus, & alij apud eun-dem cap. 16.

4. Tertiò, quia ministros, qui Eucharistiā offerunt, vocant *Sacerdotes*: & eorum ministerium, *sacerdotium*. Proprium autem munus Sacerdotis est, offerre sacrificium, *Hebr. 5.1.* & *cap. 8.3.* Ita *Gaudentius*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Eusebius*, *Cyprianus*, *Tertullianus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, & alij apud eundem c.17.

5. Quartò, quia docent, Eucharistiam celebrari & offerri posse pro viuis & defunctis: pro pace & incolumentate: & generatim, pro omnibus necessitatibus, tam corporis, quam animi: quod sane non dicerent, nisi putarent esse verum sacrificiū. Ita *Chrysostomus* & *Augustinus* variis locis, apud eundem cap.19.

6. Quintò, quia dicunt Melchisedechum fuisse verum Sacerdotem, & obtulisse panem & vinum in sacrificium: & hoc modo præfigurasse incruentum sacrificium, quod Christus sub specie panis & vini instituit in ultima cœna: Eamque ob causam Christum in scriptura vocari *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.* Ita *Clemens Alexandrinus*, *Cyprianus*, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, & alij supra citati libro 1. cap.4.

7. His addi possunt, qui vaticinum Malachiæ, de quo supra dictum est, interpretantur de sacrificio Eucharistiæ, ut *Iustinus martyr*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Eusebius*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, & plures alij, apud *Bellarminum lib. 1. cap.10.*

8. Ex quibus omnibus abundè constat de sententia antiquorum Patrum, neque necesse est, integra eorum testimonia huc transcribere, cum Aduersarij cōcedant eos ita sentire. Nam *Kemnitius* in *Examine*, de iis sic scribit: *Negari non potest, veteres, quando loquuntur de celebratione cœna dominica, usurpare vocabula sacrificij.*

sacrificij, immolationis, hostiæ, victimæ: item, uti verbis offerre, sacrificare, immolare. Similia habent Lutherus & Calvinus, vt sequenti cap. videbimus.

C A P V T VII.

Quid sentiant Christiani hoc tempore.

1. **C**atholici docent Eucharistiam esse verum ac propriè dictum sacrificium, vt patet ex Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 1. & sequentibus: & ibidem can. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, anathema sit.* Et in formula professionis fidei. *Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis & defunctis.*

2. Lutherani & Caluinistæ, negant esse verum sacrificium: & quod grauius est, per contemptum vocant, *horribile sacrilegium, idololatriam, sacrificij crucis Christi abnegationem, commentum Papisticum, abominationem, exitialem voraginem*, & si quæ similia cogitare possunt. Ita post Caluinum David Pareus in commentario Epistolæ ad Hebraeos, & alij eiusdem farinæ Novatores.

3. Vtri rectius, videndum est. Catholici nituntur quinq; fundamentis. 1. figuris veteris Testamenti. 2. vaticinijs Prophetarum. 3. colloquio Christi cum Samaritana. 4. auctoritate Pauli Apostoli. 5. consensu antiquorum Patrum & totius Ecclesiæ. Ex his formant totidem argumenta. Primum, oblatio panis & vini à Melchisedech facta, & celebratio agni Paschalis, & iuge sacrificium Iudeorum, fuerunt typi seu figuræ celebrationis Eucharistiæ: sed illa erant vera sacrificia:

ficia: Ergo & celebratio Eucharistiae est verum sacrificium. Secundum, Isaias, Daniel & Malachias prædixerunt in nouo Testamento fore Sacerdotes, altaria, & iuge sacrificium seu oblationem mundam in omni loco offerendam. Hoc non potest intelligi, nisi de sacrificio Eucharistiae. Ergo de illo vaticinati sunt. Tertium, Christus dedit hoc discrimen inter sacrificium Iudæorum & Christianorum, quod illud fuerit allatum certo loco: hoc in omni loco offerri possit. Est autem locutus de sacrificio propriè dicto: Ergo apud Christianos datur aliquod sacrificium propriè dictū, quod in omni loco offerri potest. Hoc autem non est sacrificium crucis cruentum quod semel tantum, & uno loco oblatum est: Ergo est sacrificium Eucharistiae incruentum, quod quotidie in omnibus Ecclesijs offertur. Quartum, Apostolus volens probare, eos esse participes sacrificij idololatrici, qui comedunt de victimis oblatis in altari idololatrico: *vñus est tali discursus*: Qui sumunt de corpore & sanguine Domini, oblatis in altari Christi, sunt participes sacrificij Christiani. Et similiter, qui sumunt de victimis oblatis in altari Mosaico, sunt participes sacrificij Mosaici: Ergo pari ratione, qui sumunt de oblatis in altari idololatrico, sunt participes sacrificij idololatrici. Hic autem discursus supponit, non minus apud Christianos esse verum sacrificium & altare, quam apud Iudæos olim fuerit. Deinde idem Apostolus docet, sacrificium esse, *ybicunq; lex est: sed apud Christianos est vera lex*: Ergo verum sacrificium. Quintò, omnes Patres cum tota antiquitate, & communi populorum suffragio, docent celebrationem Eucharistie esse verum sacrificium: At non est verisimile, omnes, quotquot in antiqua Ecclesia vixerunt, in re tanta errasse: Ergo potius statuendum est,

ita

ita rem habere : & temerarios esse Nouatores , qui nunc aliter sentiunt.

4. Hæc Catholicorum argumenta sunt. Quid nunc Aduersarij ? Fundant se primò in disputatione diaboli cum Luthero. Secundò, in simplici negatione omnium argumentorum, quæ nunc allata sunt. Si nihil habetur, (inquit Lutherus de capt. Babylonica) quod dicitur, tutius est omnia negare, quam Missam sacrificium esse concedere. Breue compendium. Tertiò, in contemptu omnium Patrum & toties antiquitatis. Lutherus in libro de abroganda Missa ; Profiteor in primis aduersus eos, qui clamaturi sunt , quod contra ritum Ecclesie, contra statuta Patrum docuerim , nihil horum me auditurum. Et in lib. contra Regem Angliæ : Ultimo dicta Patrum inducit Rex pro Missario sacrificio, & ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere præ omnibus. Hoc est , quod dixi Thomisticos asinos nihil habere, quod producant, nisi multitudinem hominum, & usum antiquum. Et in lib. de Missa priuata : Hic non moramur, si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta aut facta, nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos : verbo Christi iudicamus Ecclesiæ, adeoque ipsos Angelos. Similia habent Nouatores alij. Caluinus libro 4. Inst. c. 18. §. 1. Peſtilentissimo errore Satan totum pene orbem excœcauit , ut crederet Missam sacrificium. Et infra §. 12. Non est , cur ulla hominum autoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moneri. Kemnitius in Examine Concilij Tridentini: Neque veterum qualescumque sententia, sed Scriptura canonica regula est in hac controværia.

5. Æstimet nunc prudens Lector, quos sequi volet, nos, an aduersarios? Nos tenemus viam antiquum Patrum , & cum ijs Scripturam interpretamur.

Ad

Aduersarij reijciunt totam antiquitatem. Ajunt, non modo Patres, sed etiam Prophetas, & Apostolos, & totam Ecclesiam errasse: se solos non errasse. Imò, se Iudices esse Ecclesiæ, Apostolorum, atque adeò Angelorum. Magnus spiritus: magna præsumptio. Videamus tamen, quæ argumenta contra nos adferant. Ea duplia sunt. Alia, quibus contendunt, Eucharistiam non esse sacrificium: alia, quibus vrgent, non esse sacrificium propitiatorium pro peccatis. Hæc cap. 12. examinabimus. Nunc priora discutienda sunt. Et quidem hæc potissimum.

Argumenta Nouatorum.

6. *Primum*, Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus: At Eucharistia comeditur ab hominibus: Ergo non est sacrificium. *Respondeo.* Maior, quoad posteriorem partem, apertè falsa est. Nā agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis. Nec enim pugnant hæc duo inter se: Totum sacrificium offertur Deo: & tamen sacrificium, vel pars eius, comeditur ab hominibus. Hoc non solum patet in Paschali, qui totus offerebatur Deo, & totus comedebatur à populo: sed etiam in hostijs pacificis, quæ integræ offerebantur Deo, & tamen pars earum cedebat in usum & Sacerdotum & offrentium. Eodem modo in Eucharistia. Tota offertur Deo, & tota sumitur à fidelibus. Offertur Deo, ad ipsius gloriam & honorem: sumitur à fidelibus, ad illorum salutem & utilitatē. Potest enim una eademq; res, quatenus honorifica est, seruire vni: & quatenus utilis est, seruire alteri. Imò commune est omnibus creatu-

ris inferioribus , vt seruant Deo ad ipsius gloriam & honorem,nobis autem,ad nostram commoditatem & salutem. *Dices* : Holocaustum non comeditur ab hominibus, sed totum consumitur ad honorem Dei: Ergo saltem Eucharistia non est holocaustum, quod tam docent Catholici. *Respondeo*. Catholici non docent esse holocaustum Mosaicum, quod totum debebat comburi, & in futurū resolui : sed esse perfectius omnibus sacrificijs Mosaicis, etiam holocaustis , quia Christus , qui offertur in Eucharistia , est praestantior omnibus animalibus , quæ offerebantur in sacrificijs & holocaustis Mosaicis.

7. *Alterum* : Id, quod est sacramentum, non potest simul esse sacrificium : sed Eucharistia est sacramentum: Ergo non potest simul esse sacrificium. Maior probatur , quia sacramentum & sacrificium opponuntur. Nam in sacramento accipimus aliquid à Deo : in sacrificio damus aliquid Deo. At ratio accepti & ratio dati non possunt simul in vna eademque re consistere. *Respondeo*. Maior falsa est,etiam aduersariorum concessione. Nam Plessaeus Caluinista, cum tota Synodo Capicensi , libro primo de Eucharistia, cap. 1. expressè ait, agnum Paschalem fuisse simul sacramentum & sacrificium. *Quod* etiam ex Scholasticis docet D. Thom. & plures alij. Si ergo agno Paschali non repugnat simul esse sacramentum & sacrificium, cur repugnet Eucharistiq? Non video. Nec obstat, quod sacramento aliquid accipiamus à Deo, & in sacrificio aliquid ei offeramus. Nam hæc duo posse simul consistere , iam ostensum est in agno Paschali: qui totus offerebatur Deo ad ipsius honorem , & totus comedebatur à Iudeis ad illorum salutem. Idem fit in Eucharistia. Et sanè, si id, quod à Deo accipimus,

non

non liceret offerre Deo, nullum fore sacrificium Omnia enim, quæ Deo offerimus, à Deo accepimus, iuxta illud i. Patalip. 29. 4. *Tua sunt omnia : Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

8. *Tertium*, Christus in ultima cœna, quando instituit Eucharistiam, non dixit, *offerte*, sed *comedite & bibite*. Ergo Eucharistia ex institutione Christi, non est sacrificium, sed sacramentum tantum. *Respondeo*. Tametsi non sit vſus illo vocabulo, *offerte* : vſus tamen est alio equipollente, cum dixit. *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, post hac celebrate Eucharistiā, quam nunc instituo, pro gratiarum actione, in memoriam meæ mortis, quam pro vobis, & toto humano genere subiturus sum. Est autem duplex gratiarum actio. Una interna, quando quis interno affectu gratum se exhibet Deo pro accepto beneficio. Altera externa, quando externo ac sensibili signo declarat internum animi affectum, & gratificandi voluntatem. Vtramque requirit Christus à nobis pro beneficio suæ mortis ac passionis. Et quidem internam vult fieri per internum animi affectum: externam, per celebrationem Eucharistiæ. Porrò, sicut interna gratiarum actio consistit in interna oblatione, qua quis affectum suum offert Deo pro accepto beneficio: sic etiam externa consistit in oblatione, qua externum signum sui affectus exhibet Deo. Vnde sequitur, omnem gratiarum actionem cōsistere in quadā oblatione, respectu Dei benefactoris. Cum ergo celebratio Eucharistiæ, ex Christi institutione, sit quædam externa gratiarum actio, necesse est eam in externa oblatione cōsistere. Vnde cum dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem*: plus dixit, quam si solū dixisset, *offerte*. Hoc enim amplius dixit: *Offerte in memoriam tanti beneficij à me accepti.*

9. Idem alia via sic ostendo. Christus obtulit seipsum Deo in ara crucis , pér modum veri cruenti sacrificij, vt omnes fatentur cum Apostolo, Heb.9.& 10. Ac simul voluit , vt hæc cruenta oblatio repræsentaretur nobis,& quotidie in memoriam reuocaretur per celebrationem Eucharistiæ , cum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo necesse est , in celebratione Eucharistiæ fieri aliquam oblationem incruentā, quæ sit repræsentatio illius cruentæ oblationis in cruce. Et hoc significat D. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap.18. cum ait : *Christiani , iam peracti sacrificij in cruce: memoriam celebrant sacrosancta oblatione , & participatione corporis & sanguinis Christi.* Vbi in Eucharistia coniungit hæc duo , oblationem & participationem Christi. Igitur secundum Augustinum, & offertur Christus in Eucharistia , & sumitur. offertur Deo, ad ipsius honorem : sumitur à fidelibus ad ipsorum salutem & utilitatem. Et hoc est, quod supra dixi in solutione primi & secundi argumenti. Vnde patet, in his omnibus Augustinum nobiscum sentire contra Nouatores, quod ipsi negare non audent.

10. *Quartum: Christus est Sacerdos in æternum: ergo nullum habet successorem aut vicarium in Sacerdotio.* Ergo iam nulli sunt Sacerdotes in terris : Ergo nec sacrificia propriè dicta. Et confirmatur ex Apostolo, Heb.7. vbi dicit, ideò in veteri Testamento fuisse plures Sacerdotes , quorum unus alteri succederet, quia singuli erant mortales, ac proinde debebat alij atque alij semper succedere. Christus autem est immortalis : Ergo non indiget successoribus & vicariis. *Respondeo.* Aliud est, esse successorem alterius : aliud , esse ministrum seu vicarium. Dupliciter enim hæc differunt. Primò ; quia successor est eiusdem dignitatis

ac potestatis cum eo , cui succedit : non item minister seu vicarius cum eo, cuius minister aut vicarius est. Secundò, successor non nisi post mortem aut depositio-nem alrerius constituitur. At vicarius seu minister solet constitui, dum adhuc viuit is, cui subseruit. Vtrumque patet in Rege. Is quamdiu viuit , & in eo officio manet, non habet successorem cum pari potestate: ha-bet tamen vicarios & ministros , qui illi subseruiunt. Similiter fit in nostro proposito. Christus non habet successorem in sacerdotio cum pari potestate , quia semper viuit, vt rectè argumentatur Apostolus. Habet tamen ministros seu vicarios , qui illi subseruiunt in officio sacerdotali. Idem factum est in Aarone, seruata proportione. Quamdiu vixit , non habuit successores cum pari potestate : habuit tamen inferiores Sacerdo-tes & Leuitas , qui illi ministrabant. Et quid hic diffi-cultatis est? Nihil sanè. Sed Nouatores omnia confun-dunt, vt facilius decipient incautos.

11. *Quintum*: Sacrificium crucis habet vim infinitā & aeternam: Ergo non indigemus alio sacrificio: Ergo multiplicare tot sacrificia Missæ , nihil est aliud, quām negare virtutem & sufficientiam sacrificij crucis. Et confirmatur ex Apostolo, qui saepe asserit, vnam oblationem Christi in cruce sufficere , nec alia opus esse. Hebr.9.26. *Semel ad destructionem peccati, per hostiam suā apparuit.* Et v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exaurienda peccata.* Et c. 10. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis semel.* Et v.14. *Vna oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatio.* Quid ergo opus est sacrificio Missatico? Respondeo. Hoc argumentum du-pliciter potest retorqueri. Primò sic: Sacrificium crucis habet vim infinitam & aeternam : ergo non opus est Baptismo. Eucharistia , fide, spe, charitate, oratione: Er-

go multiplicare hæc omnia , nihil aliud est, quām negare virtutem & sufficientiam sacrificij crucis. Secundò sic: Sacrificium crucis habet vim infinitam & æternam respectu omnium hominum, ab initio mundi usque ad finem. Ergo omnia alia sacrificia sunt superflua: Ergo multiplicare tot sacrificia Mosaica nihil aliud est, quām negare vim & sufficientiam sacrificij crucis. Quid hic dicent Nouatores?

12. Sed ad rem. Sacrificium crucis habet infinitam & æternam vim sanctificandi homines : nec opus est alio sacrificio crucis aut eiusdem sacrificij crucis repetitione: Vel quod idem est, non opus est, ut alias Christus moriatur pro nobis, aut ut idem Christus saepius moriatur. Nam semel moriendo, sufficientissimè satisfecit Deo Patri pro nobis. Et hoc vult Apostolus loco citato. Duo tamen necessaria sunt. Vnum, ut simus memores illius tanti beneficij , vel iam accepti , vel olim promissi. Alterum, ut fructus illius beneficij & satisfactionis in particulari nobis applicetur. Vtrumque fit per fidem , sacramenta , sacrificia , prædicacionem verbi , & similia instrumenta à Deo ordinata, non solum in veteri , sed etiam in novo Testamento. Ergo nihil illorum superfluum est. Sicut ergo non sequitur : sacrificium crucis habet infinitam vim: Ergo superflua sunt Sacra menta nouæ legis : ita non sequitur ; Habet infinitam vim : Ergo superfluum est sacrificium nouæ legis. Nec hoc , nec illa superflua sunt. Non enim ordinantur ad augendam vim sacrificij crucis ; quæ cum infinita sit , non indiget augmento : sed partim ad illam repræsentandam , partim ad fructum eius nobis applicandum. Dices: quid opus est applicare fructum sacrificij crucis per sacrificium Missæ , cum sufficienter applicari possit

T t 2 per

per fidem, Baptismum & Eucharistiam? Ego vicissim dicam, quid opus est applicare per Baptismum & Eucharistiam, cum sufficienter applicari posset per fidem & sacrificium Missæ? O homo, tu quis es, ut dicas Deo, quare ordinasti sic?

13. Hæc sunt præcipua argumenta contra sacrificium Missæ. Alia, vel continent mera mendacia, quibus referendis libenter supersedeo: vel solum contendūt, Missam non esse sacrificium propitiatorium pro peccatis, quæ in caput 12. reseruamus. Ea porrò, quæ iam illata & soluta sunt, vehementer confirmant nostram sententiam. Nam si ex vna parte spectemus communē cōsensum antiquorum Patrum & totius Ecclesiæ, cum solidissimis fundamentis ex Scriptura desumptis, ut supra visum est: ex altera, priuatam paucorum opinionem, quæ solum in disputatione Diaboli, in contemtu totius antiquitatis, & in his pauculis nullius momenti argumentis fundata est: facile æstimabimus non decere virum prudentem ac cordatum, ut propter has quisquilias & ineptias, relicto Christiani orbis consensu, ad hanc nouam sectam paucorum hominum se se adiungat.

C A P. VIII.

In quo consistat essentia huius Sacrificij.

I. **O**Mitto calumnias Nouatorum, qui populo persuadent, essentiam huius sacrificij, apud Catholicos, in quibusdam saltibus, gesticulationibus, & vestium ornamenti positam esse. Non ita est. Nec ipsi, si viri boni essent, ita loquerentur; neque

neque si faciant, necesse est refutare.

2. Catholici sic statuunt: In sacrificio duo spectari posse. 1. rem quæ offertur & sacrificatur. 2. actionem sacrificandi. Hinc duplex oritur quæstio. Vna, quæ sit illa res, quæ propriè offertur & sacrificatur in Missa: an scilicet panis & vinum: an verò corpus & sanguis Christi? Altera, quæ sit actio sacrificandi, in qua essentialiter consistit ratio sacrificij? Sunt autem 6. actiones in Missa, de quibus dubitari potest. Prima est oblatio panis & vini ante consecrationem. Secunda est ipsa consecratio, per quam panis & vinum conuertuntur in carnem & sanguinem Christi. Tertia est oblatio corporis & sanguinis Christi post consecrationem. Quarta est fractio & commissio sacramenti. Quinta est consumptio sacramenti à Sacerdote consecrante facta. Sexta est distributio, & sumptio à fidelibus facta. His positis ad utramque quæstionem respondeo per duas sequentes conclusiones.

3. *Prima Conclusio;* Res, quæ primò & principaliter offertur in sacrificio Missæ, est corpus & sanguis Christi sub specie panis & vini. Ratio est eidens, quia sacrificium crucis cruentum, & sacrificium Missæ incruentum, non differunt, quoad substantiam rei oblatæ. Sed res oblata in sacrificio crucis, est Christus ita illud 1. Cor. 5. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ergo etiam res oblata in sacrificio Missæ, est Christus. Et hoc definitum est in Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 2. his verbis: *In hoc sacrificio Missæ idem ille Christus incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

4. *Dices:* illud principaliter offertur & sacrificatur, quod immolatur & destruitur ad honorem Dei, ut patet in omnibus sacrificiis Mosaicis: at solus panis

& vinum immolantur & destruuntur Eucharistia, nō autem corpus & sanguis Christi : Ergo solus panis & vinum principaliter offeruntur & sacrificantur. 2. quia res oblata in sacrificio, supponitur actioni sacrificandi, non autem resultat ex tali actione : ut patet in sacrificio agni Paschalis, vbi res oblata est agnus viuus, non autem cadauer eius, quod ex immolatione resultat. At panis & vinum supponuntur actioni sacrificandi, ergo panis & vinum sunt res oblata. Christus autem qui per actionem sacrificandi resultat, solum est sacramentum, seu sacer cibus, sicut erat agnus Paschalis postimmolationem. 3. idem colligitur ex praxi Ecclesie, quæ offert panem & vinum, & vocat hostiam, seu rem oblatam. Et in quadam Antiph. dicit : *Sacerdos in aeternum Christus secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit.* Eodem modo loquuntur Patres. Cypr. Epist. 63. *Panem & calicem mistum vino obtulit.* Et Iren. lib. 9. c. ; 2. *Præcipit Christus Apostolis, ut primitias creaturarum, scilicet panem & vinum, Deo in sacrificio offerat.* Et Alexand. 1. epist. 1. *Panistantum & vinum aqua permistum, in sacrificio offerantur.*

5. Respondeo, res oblata potest esse duplex. Vna per modum materiæ, quæ supponitur actioni sacrificandi. Altera per modum termini, qui resultat per actionem sacrificandi. Igitur panis & vinum sunt res oblata per modum materiæ : corpus & sanguis Christi per modum termini resultantis. Idem seruata proportione, factum est in sacrificiis Mosaicis. Nam res oblata per modum materiæ erat, v.g. agnus viuens: per modū, termini, agnus occisus & immolatus. Hoc tamen interest, quod in sacrificiis Mosaicis, res principaliter oblata, non erat terminus, sed materia: in nostro non materia, sed terminus. v. g. Agnus viuus erat res principi

principaliter oblata: & eius destructio seu immolatio erat actio sacrificandi principaliter intenta in cultum Dei. At in Eucharistia, non panis & vinum, sed corpus & sanguis Christi, est res principaliter oblata: nec destructio panis & vini est per se intenta, sed solùm in ordine ad introductionem corporis & sanguinis Christi; nec in destructione panis & vini, consistit principalis actio sacrificandi, sed in consecratione, qua substantia panis & vini mutatur in corpus & sanguinem Christi, ut in sequenti conclusione latius explicandum est.

6. *Secunda conclusio.* Sicut res oblata in sacrificio Missæ principaliter consistit in corpore & sanguine Christi, ut iam dictum est; sic actio sacrificandi principaliter consistit in consecratione: Seu quod idem est, sicut corpus & sanguis Christi, est ipsa victimæ, quæ offertur & consecratur. Ratio est, quia oblatio seu sacrificatio victimæ debet fieri à Sacerdote, tanquam à proprio ministro: At in lege Euangelica, solus Christus est principalis Sacerdos; alij vero, sunt secundarij Sacerdotes, & quasi ministri seu vicarij, qui in persona Christi offerunt & sacrificant: Ergo oblatio seu sacrificatio victimæ debet fieri, vel à Christo (ut contigit in ultima cœna) vel ab aliis secundariis sacerdotibus in persona Christi, ut nunc contigit in sacrificio Missæ. At nulla actio fit à Sacerdotibus in persona Christi, nisi consecratio: Ergo in nulla actione consistit oblatio seu sacrificatio victimæ, nisi in consecratione. Minor probatur inductione, quia nec oblatio panis & vini, quæ fit ante consecrationem, nec similiter ea, quæ fit post consecrationem, adhibita est à Christo in ultima cœna, sed postea ab Ecclesia introducta: Ergo neutra fit in persona Christi.

Idem dicendum est de illa actione, qua hostia iam consecrata frangitur, & vna illius particula iniicitur in calicem consecratum; itemque de sumptione hostiae & calicis, quae fit a Sacerdote. Neutram enim legimus a Christo factam esse. Distributio vero, tametsi facta sit a Christo, iuxta illud; *Deditque discipulis suis*; non tamen fit in persona Christi, tanquam sacerdotis, quia non solum a Sacerdotibus, sed etiam a Diaconis fieri potest. Supereft ergo sola consecratio, quae & a Christo tanquam Sacerdote facta est, & quotidie fit a sacerdotibus in persona Christi. Cum enim dicunt Sacerdotes in consecratione; *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, non loquuntur in propria, sed in Christi persona. Non enim est illorum corpus & sanguis, sed solius Christi. Igitur in sola consecratione principaliter consistit oblatio victimae, seu sacrificatio.

7. Et ita sentiunt antiqui Patres. Nam Irenaeus libro 4. contra haereses, cap. 32. dicit Christum docuisse noui Testamenti nouam oblationem, cum dixit; *Hoc est corpus meum*. Cyprianus in sermone de cœna Domini sic scribit; *Ex quo a Domino dictum est, Hec est caro mea; Hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, existit medicamentum simul & holocaustum*. Vult dicere, per verba consecrationis, effici holocaustum seu sacrificium; quod nos asserimus. Similia habent alij Patres. Et ex scholasticis Bonaventura, & Thomas, Ioannes Maior, Alanus, Cassalius, apud Franciscum Suarez, 3. par. tom. 3. disput. 75.

8. Ut tota res melius intelligatur, distinctius explicanda est. Igitur in consecratione, quam solam dicimus esse de essentia huius sacrificij, tria spectari possunt.

possunt. Primò , destrucción substantiæ panis & vini, facta in cultum & honorem Dei. Secundò , adductio, seu præsentia Christi, sub speciebus panis & vini, quæ etiam fit ad honorem & cultum Dei. Tertiò , mystica quædam mactatio, quæ fit per consecrationem utriusque speciei, quatenus ex vi verborum, corpus & sanguis Christi sacramentaliter separantur , licet re ipsa coniuncta sint per naturalem concomitantiam. Potest ergo disputari , an consecratio habeat rationem sacrificij , quatenus est destrucción panis & vini ; an verò , quatenus est adductio, seu præsentia Christi ; an denique, quatenus est mystica mactatio ? Huic annexa est alia quæstio , an ad rationem huius sacrificij necessaria sit consecratio utriusque speciei ; an verò sufficiat consecratio unius ?

9. Aliqui putant, consecrationem unius sufficere, quatenus est destrucción panis , & adductio corporis Christi ; vel destrucción vini , & adductio sanguinis Christi ; nec opus esse consecratione utriusque speciei, in qua fit mystica mactatio Christi, seu sacramentalis corporis & sanguinis Christi separatio. Ratio illorum est, quia in consecratione unius speciei non solum reperitur actio sacrificandi , sed etiam victimæ, quæ sacrificatur & offertur , nempe Christus sub specie sacramentali.

10. Alij rectius sentiunt , consecrationem utriusque speciei necessariam esse, non solum quatenus est destrucción substantiæ panis & vini, & simul adductio corporis & sanguinis Christi ; sed etiam quatenus est mystica mactatio, quæ fit, quando vi verborum mysticè separatur corpus à sanguine Christi. Et ratio est, quia hoc incruentum sacrificium Missæ , de quo agimus, debet esse repræsentatio cruentij crucis,

vt sèpè dictum est: Ergo debet includere consecrationem vtriusque speciei , quatenus habet rationem mysticæ mactationis, id est, quatenus expressè repræsentat mortem & passionem Christi. Hoc sensu loquitur Augustinus apud Gratianum , cap. Semel de consecrat. distinct. 2. cùm ait ; *Semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in Sacramento.*

11. Supersunt aliquot obiectiones diluendæ; quarum duæ priores contendunt , consecrationem non esse de essentia sacrificij Missæ ; reliquæ , non solùm consecrationem esse de essentia , sed etiam sumptionem, quæ fit à Sacerdote sacrificante. *Prima est*; productio, qua primum producitur victima in rerum natura, non est ipsa oblatio seu sacrificatio victimæ, sed illam necessariò præcedit, vt patet inductione. Nam prius est Agnū nasci, quām immolari; prius est, Christum concipi in vtero materno, quām offerri in cruce. At consecratio est quasi productio Christi , quia per illam fit Christus præsens, cum antea non esset præsens: Ergo consecratio non est oblatio seu immolatio Christi, sed illam præcedit. *Respondeo.* Hoc argumentum procedit de aliis sacrificiis, in quibus res principaliter oblata, habet se per modum materiæ; non autem in nostro , in quo res principaliter oblata , habet se per modum termini. Hoc supra à me notatum est. Nunc clarius sic explico. Productio materiæ, quæ offertur in sacrificio, semper est prior oblatione seu sacrifice, ut bene ostenditur in exemplis allatis. At productio termini , qui resultat ex materia , non est prior oblatione seu sacrifice, sed est ipsa oblatio seu sacrificatio. Hoc patet in nostro sacrificio.

12. *Secunda obiectio.* In die Parasceues offertur verum

rum sacrificium absque consecratione, quia sit oblatio ex presanctificatis, ut loquuntur Theologi: Ergo consecratio non est de essentia sacrificij. Antecedens probatur primò, ex oratione, quam Ecclesia in officio illius diei profert, cum ait; *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur a te Domine: & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.* Et postea subdit sacerdos; *Orate fratres, ut meum & vestrum sacrificium &c.* Secundò, quia non est verisimile, Ecclesiam illo die carere sacrificio, cum dicat Augustin. epist. 118. cap. 2. *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia.* Respondeo. In die Parasceues non offertur sacrificium incruentum, ut notat D. Thomas 3. part. q. 83, art. 2. ad secundum, quia eo die cruentum sacrificium oblatum est in cruce. Idem sentiunt plerique Scholastici in 4. dist. 13. & Rabanus lib. de institutione Clericorum cap. 67. vbi hoc confirmat ex figura huius mysterij. Nam sicut in veteri Testamento, eo die, quo semel in anno summus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, alij sacerdotes non sacrificabant; ita in nouo Testamento, eo die, quo Christus tanquam supremus Pontifex, obtulit seipsum in ara crucis, consenteum est, alios sacerdotes, qui sunt ministri Christi, non offerre sacrificium. Eodem spectat illud Hugonis de S. Victore, lib. 3. miscell. cap. 43. *Non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Et ratio est, quam superius attigi, quia nullum potest fieri sacrificium nouæ Legis, in quo Christus non sit principale offerens. At in die Parasceues, quando celebratur officium in Ecclesia, nihil fit in persona Christi: Ergo tūc non offertur sacrificium. Nec obstat, quod in oratione Ecclesiæ, supra allegata, fiat mentio sacrificij. Ibi enim nomine sacrificij, non signi

significatur actio sacrificandi, de qua hic disputamus; sed victimæ, seu hostia sacrificata, quæ tunc verè præsens est. Quod autem Augustinus generatim dicit, *omnibus diebus offerri sacrificium in Ecclesia*; non excludit singularem exceptionem vnius alicuius diei.

13. *Tertio obiectio.* De essentia sacrificij sunt hæc duo. 1. vt victimæ realiter immutetur. 2. vt sumatur à Sacerdote: At neutrum fit per solam cōsecrationem, nisi accedat sumptio Sacerdotis: Ergo hæc sumptio est de essentia sacrificij. Maior est D.Thom.3.part.q. 82.artic.4.vbi citat Dionysium, Augustinum, & illud ex Concilio Toletano X II. *Quale erit sacrificium, cuius neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* quod etiam citatur apud Gratianum, cap. Relatum, de consecratione, dist. 2. *Respondeo.* In hac obiectione duo sumuntur. Vnum, quod realis immutatio victimæ sit de essentia sacrificij. Hoc verum est, sed cum hac distinctione. Materia, quæ offertur, debet realiter immutari, non tamen necesse est, terminum resultantem ex materia, realiter immutari: Et sic fit in nostro sacrificio. Nam panis & vinum, quæ sunt materia illius, realiter mutantur in corpus & sanguinem Christi. Alterum, quod sumptio à Sacerdote facta, sit de essentia sacrificij. Hoc falsum est. Nam in veteri Testamento holocaustum erat præstantissimum inter omnia sacrificia, & tamen ex eo non sumebat Sacerdos. Sed ex hac solutione oriuntur duæ aliæ obiectiones: una circa realem immutationem, altera circa sumptionem Sacerdotis. Est ergo

14. *Quarta obiectio.* Realis immutatio, quæ fit in externo & visibili sacrificio, debet esse externa & visibilis: at illa mutatio, qua panis & vinum mutantur in corpus & sanguinem Christi, nō est externa & visibilis,

bilis, sed occulta. Ergo non sufficit ad rationem exteri-
ni & visibilis sacrificij : Ergo requiritur alia mutatio
nempe sumptio sacerdotis. *Respondeo*, illa mutatio, qua
panis & vinum mutantur in corpus & sanguinem
Christi, potest dupliciter spectari. Primò, præcisè, se-
cundum se; & sic occulta est. Secundò, quatenus perfici-
tur externo verbo, *Hoc est corpus meum*; & sic non est
occulta, sed sensibilis & externa: quod dici solet de cō-
tritione, quę in se spectata, occulta est, quatenus verò
per externam peccatorum confessionem manifesta-
tur, non est occulta. Et in nostro sacrificio idem est de
Christo, qui est sensibilis & externa viētima ; non se-
cundum se, sed quatenus per externas species panis &
vini representatur.

15. *Quinta obiectio*. Si sumptio sacerdotis non est
de essentia sacrificij, ergo non est iure diuino necessa-
ria: hoc autem falsum est, quia sacerdos sacrificans iu-
re diuino tenetur ad sumendum sacramentum sub
vtraque specie, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 82. art.
4. Et citat illud, quod supra attigi ex Conc. Toletano:
*Quale erit sacrificium, cuius neq; ipse sacrificans particeps
esse dignoscitur?* idem colligitur ex Conc. Tridentino,
sess. 13. c. 8. vbi dicit, *Semper in Ecclesia Dei morem fuisse,*
ut Sacerdotes celebrantes seipso communicarent. Et D.
Thom. quæst. 38. art. 6. ad 1. ait, si contingat sacerdotem
consecrante non posse sumere Eucharistiam, ut si
subita morte aut morbo impediatur, debere alium
substitui, qui sacrificium perficiat; quod etiam habetur
in regulis Missalis, & apud Gratianum cap. *Illud*, & c.
Nihil 7. quæst. 1. Respondeo. Est autem præceptum sa-
cerdotibus, ut vtramque speciem sumant; non tamen
constat, an sit iuris diuini. Porrò, hoc præceptum qua-
lecumque sit, siue iuris diuini, siue humani, non id eo
da

datum est sacerdotibus , vt per sumptionem vtiusque speciei sacrificent , sed vt participant de oblato sacrificio,& ipso opere ostendant, se consentire sacrificio, vt explicat D. Thomas q. 82. art. 4. Vnde non sequitur, sumptionem pertinere ad essentiam sacrificij, sed tan-tum ad usum.

16. *Quæres;* Tametsi sumptio non sit de essentia huius sacrificij, vt iam satis ostensum est; an saltem ordo ad sumptionem sit de essentia illius? Hoc aliqui af-firmant. Et sanè probabiliter. Nam hoc sacrificium, ta-metsi per se primo institutum sit ad cultum Deo exhi-bendum, sicut omnia alia sacrificia; tamen secundariò institui potuit ad spiritalem animę refectionem; Et sic ordo ad sumptionem potest aliquo modo dici de es-sentia huius sacrificij, licet ipsa sumptio sit tantum ex-trinseca eius perfectio. Víde Franciscum Suarez disp.

75.

C A P. I X.

An sacrificium missæ essentialiter differat ab omnibus alijs sacrificijs?

1. **E**xposui hactenus, in quo consistat essentia huius sacrificij, tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte actionis sacrificandi. Hinc facile constabit, an essentia-liter differat ab alijs sacrificijs. 1. ab incruento sacrificio in ultima cœna. 2. à cruento sacrificio in cruce. 3. à sacrificijs veteris Testamenti. Ulterius constabit, an sit essentialiter perfectius illis omnibus.

2. *Prima conclusio.* Sacrificium Missæ non differt essentialiter ab incruento sacrificio , quod in ultima cœna

cœna oblatum est; sed tantū accidentaliter. Prior pars patet, quia illa duo sacrificia conueniunt in re oblatæ, in actione sacrificandi, & in principali offerente: Ergo conueniunt in essentialibus. Posterior probatur, quia differunt in multis accidentibus. Primo, in qualitate rei oblatæ. Nam in cœna oblatus est Christus mortalis, nunc offertur immortalis & glorioſus. Secundo, in offerente proximo. In cœna, Christus per se obtulit; nunc offert per ministerium. Tertio, in effectu morali. In cœna fuit meritorium & satisfactorium ex parte Christi offerentis; nunc non est tale, quia Christus iam non est in statu merendi & satisfaciendi. Quartò, in significando. In cœna significabat mortem Christi futuram; nunc significat præteritam. Quinto, in alijs circumstantijs, partim physicis, in loco, tempore, diuersitate panis & vini; partim moralibus, ut in ceremonijs, ritibus, & apparatu vestium. Vide Suarez, disp. 76.

3. *Secunda conclusio.* Sacrificium Missæ conuenit cum sacrificio crucis in re oblatæ, & in principali offerente; differt tamen in multis. Primo in actione & ritu sacrificandi. Secundo, in externali specie rei oblatæ. Tertio, in proximo offerente. Quartò, in effectu. Quinto, in significando. Hęc omnia superius explicata sunt, cap. secundo. Solùm quæri hic potest, an hæ differentiæ sint essentiales? Et potissima difficultas est de prima. Nam reliquas accidentales esse, facile concessero. Ego sic sentio. Sacrificium dupliciter sumi potest. Primo, pro re oblata seu sacrificata. Secundo, pro actione offerendi seu sacrificandi. Priori modo, essentia eius spectari debet ex parte rei oblatæ, seu victimæ; posteriori, ex parte actionis, seu ritus offerendi & sacrificandi. Hinc sequitur primo, sacrificium missæ,

& sa

& sacrificium crucis, ex parte rei oblatæ, non distingui essentialiter; ac proinde hoc sensu non esse duo, sed vnum sacrificium, secundum speciem essentialēm. Secundò, distingui tamen essentialiter ex parte ritus seu actionis sacrificandi; & hoc sensu esse duo sacrificia, non vnum. Nam actio utriusque diuersa est. Christus enim in sacrificio crucis oblatus est per realem occisionem & mortem; at in sacrificio Missæ, offertur per consecrationem. Occisio autem & consecratio, plurimum inter se differunt.

4. Nota tamen, has actiones tripliciter spectari posse. Primò, secundum entitatem physicam; & sic certum est, differre essentialiter. Secundò, quatenus fiunt ex motu alicuius virtutis: Et sic omnes actiones sacrificandi, tam in sacrificijs legis naturæ & Mosaicæ, quam in nostro sacrificio, possunt esse eiusdem speciei & essentiæ, si fiant ex eodem motu virtutis; vel diuersæ, si ex diuerso motu. Tertiò, quatenus sunt externa signa in cultum Dei ordinata; & sic eorum essentia spectari debet ex multis. 1. ex victima, quæ offeruntur. 2. ex principali offerente. 3. ex actione offerendi, quoad entitatem physicam. 4. ex significatione. Ex his omnibus aestimandum est, an actiones sacrificandi quatenus sunt externa signa ad cultum Dei ordinata, sint eiusdem, vel diuersæ speciei. Nam si in omnibus conueniant, sunt eiusdem planè speciei; si in omnibus discrepant, sunt planè diuersæ speciei; si in quibusdam conueniant, in alijs discrepant, nec planè eiusdem, nec omnino diuersæ speciei censeri debent.

5. *Tertia conclusio.* Sacrificium Missæ, & essentialiter, & accidentaliter differt à sacrificijs veteris Testamenti. Essentialiter, tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte oblationis seu sacrificeationis. Accidentaliter, in variis

variis circumstantiis. Hæc nota sunt ex dictis. Hinc vltius colligitur, essentialiter perfectius esse omnibus sacrificiis, excepto sacrificio crucis & vltimæ cœnæ. Vide plura apud Suarez disp. 76. sect. 2.

C A P. X.

An sacrificium Missæ essentialiter differat à Sacramento Eucharistia?

1. **D**uo certa sunt. Vnum est, eandem esse actionem realem in vitroque mysterio. Est enim vna eademque actio, qua conficitur sacramentum Eucharistiae, & qua fit consecratio seu oblatio sacrificij. Alterum est utrobique esse eūdem terminum actionis, nēpe Christum sub specie panis & vini. Quæstio ast, an sit etiam vna eademque essentia utriusque mysterij: an potius alia sit ratio seu essentia sacrificij, & alia sacramenti? Deinde, si sunt duas rationes seu essentiæ distinctiones, vtra illarum sit prior ordine temporis, uaturæ, & perfectionis?

2. *Prima conclusio.* Sacrificium Missæ differt essentialiter à sacramento Eucharistiae. Hoc constat ex tripli capite 1. quia essentia sacrificij partim consistit in actione sacrificandi, partim in re sacrificata. At essentia sacramenti nullo modo consistit in actione, sed in sola re permanente, quæ resultat ex actione. 2. essentia sacrificij Missæ requirit repræsentationem mortis Christi, & consequenter consecrationem utriusque speciei: at essentia sacramenti saluatur in vna specie. 3. sacrificium per se immediatè ordinatur ad cultum & honorem Dei: sacramentum verò ad nostram sanctificationem.

3. *Secunda conclusio.* Sacramentum prius tempore perficitur, quoad essentiam, quam sacrificium. Patet ex dictis, quia sacramentum essentialiter perficitur per consecrationem vnius speciei: at sacrificium per consecrationem vtriusque. Constat autem, consecrationem vnius speciei, ordine temporis, priorem esse consecratione vtriusque speciei. *Quares*, an idem ordo seruetur in effectu sacrificij & sacramenti? *Respondeo.* In effectu seruatur contrarius ordo. Nam effectus sacrificij confertur ex opere operato, peracta consecratione vtriusque speciei: effectus autem sacramenti confertur in usu seu sumptione Eucharistiae, quae ordine temporis sequitur consecrationem.

4. *Tertia conclusio.* Ordo naturae seu causalitatis potest esse duplex in hoc mysterio, nempe intentionis & executionis. Ordine intentionis, prius est sacrificium, quam sacramentum; quia principalius intenditur culius & honor Dei, quam nostra utilitas. Vnde etiam potestas fæderatalis primariò ordinata est ad sacrificium Deo offerendum, & secundariò ad sacramentum conficiendum. Ordine executionis, posterius est sacrificium, quam sacramentum; quia supponit consecrationem vnius speciei, in qua perficitur ratio sacramenti, & ulterius requirit consecrationem alterius speciei. *Dices;* Ergo sacrificium & sacramentum possunt re ipsa separari. *Respondeo.* Ita est. Nam si sacerdos consecrat unam speciem sine altera, perficit sacramentum & non sacrificium.

5. *Quarta conclusio.* Dignitas seu perfectio vtriusque mysterij dupliciter spectari potest. 1. Physicè, seu in esse rei. 2. moraliter, seu in esse virtutis. Si priori modo fiat comparatio, tunc est eadem dignitas sacrificij Missæ, & sacramenti Eucharistiae, tam ex parte actionis,

nis, quām ex parte termini, quia utrobique est eadem actio, nempe consecratio: & utrobique est idem terminus actionis, nempe Christus Dominus. Si posteriori, tunc maior est perfectio sacrificij, quām sacramenti, quia melius est in ratione virtutis, confidere Eucharistiam ad Dei cultum & honorem, quām ad nostram utilitatem. *Dices;* Sicut sacrificium ordinatur ad Dei cultum & honorem, sic etiam sacramentum. Rursum sicut sacramentū ordinatur ad nostram utilitatem, sic etiam sacrificium. Ergo utrobique est pars ratio. *Respondeo.* Sacrificium per se & principaliter ordinatur ad cultum & honorem Dei; secundariò autem ad nostram utilitatem. Contrà sit in sacramento. Hoc enim per se institutum est ad nostram sanctificationem, & consequenter ad Dei gloriam. *Dices 2.* Sacrificium ordinatur ad usum sacramenti tanquam ad suum finem: finis autem est perfectior, quām medium ad finem: Ergo sacramentum est perfectius quām sacrificium. *Respondeo.* Sacrificium per se & primariò ordinatur ad cultum Dei, ut dictum est; per accidens autem, & secundariò ad usum sacramenti. Deinde, saepe sit, rem magis perfectam ordinari ad minus perfectam, ut patet in Incarnatione Verbi, quæ ordinatur ad nostram redemtionem.

C A P V T X I.

Quis sit principalis offerens in sacrificio

Missa?

Hoc etiam aliquo modo spectat ad essentiam huius sacrificij explicandam; quæ tametsi potissimum consistat tum in actione sacrificandi, tum in re

oblata, tamen suo modo pendet etiam à principali offerente, duplice de causa. Primo, quia aetio sacrificandi, non solum à re oblata, sed etiam à principali offerente, habet suum valorem & dignitatem. Secundo, quia sacrificium, & sacerdotium essentialiter connexa sunt: Ergo non potest perfecte explicari tota ratio sacrificij, nisi constet de principali sacerdote, qui ad illud offendendum ordinatur.

2 Est ergo quæstio, quis sit principalis offerens in sacrificio Missæ? Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Missa c. 4. distinguit triplicem offerentem, nempe Christum, Ministrum, & Ecclesiam. Addit Christum esse primarium sacerdotem, & offere per alios sacerdotes, tanquam per ministros; Ecclesiam autem non offere, ut sacerdotem per ministrum, sed ut populum per sacerdotem. Hoc explicandum est.

3 *Prima conclusio.* Christus est summus sacerdos, qui principaliter offert sacrificium Missæ in Ecclesia per sacerdotes alios, tanquam per ministros. Ita Diuus Thomas quæstio. 82. art. 7. ad 3. Et q. 83. art. 1. ad 3. vbi dicit sacerdotem consecrare in persona & virtute Christi, & illius vicem gerere. Et conc. Lateranense, in c. Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi dicit Christum in hoc mysterio simul esse sacerdotem & sacrificium, & Conc. Tridentinum sess. 22. c. 1. & 2. vbi dicit, eundem Christum, qui se in cena & cruce obtulit, esse etiam principalem offerentem in sacrificio Missæ, ac proinde oblationem hanc esse mundam, nec propter sacerdotum offerentium iniquitatem posse inquinari. De eadem re sic scribit Cyprian. epist. 63. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur.*

4 Et probatur ex Apostolo Hebr. 7. 17. vbi ait, Christum esse sacerdotem in eternum secundum ordinem Melchi

Melchisedech. Hoc nō aliter potest intelligi, quām quod Christus, non quidem per se, sed per ministros suos, offerat quotidie sacrificium, eo ritu, quo Melchisedech obtulit, id est, sub specie panis & vini; idque non ad certum ac definitum tempus, sed in æternū, id est, usque ad mundi consummationem. Et hoc sensu distinguit Apostolus inter veterem ac nouam legem, quod in veteri plures essent Sacerdotes mortales, quorum unus alteri succedebat: Nunc autem unus sit æternus ac immortalis, qui nullos habet successores, sed tantum ministros. Hic non aliud, quam Christus est.

5. Accedit hæc ratio. Sacrificium Missæ, ut supra ostensum est ex Malachia, debet esse mundum & sanctum; & in eo differt à sacrificiis Mosaicis, quæ sæpe erant polluta & immunda. Et quidem 2 modis. Primo, ex parte rei oblatæ, iuxta illud Malachiæ 1.8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Secundo, ex parte principalis offerentis, Isaiæ 1.3. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Causam addit; Manus enim vestra sanguine plena sunt. Lauamini mundi estote. Ergo sacrificium Missæ utroque modo debet esse mundum. 1. ex parte rei oblatæ. 2. ex parte principalis offerentis. Hoc autem non fieret, nisi Christus simul esset res oblata, & principalis offerens. Nam alij offerentes, qui illius personam gerunt, sæpe immundi ac flagitosi sunt.

6. Sed quæres, an ideo solùm dicatur Christus esse principalis offerens, quia alij Sacerdotes in persona Christi offerunt, & illius ministri sunt? Respondeo. Hæc causa sine dubio vera ac sufficiens est. Possunt tamen aliae tres excogitari. Prima, quia Christus instituit hoc sacrificium. Secunda, quia vis & efficacia illius fun-

datur in meritis Christi. Tertia, quia Christus per humanitatem physicè concurrevit ad transubstantiationem, & consequenter ad actionem sacrificandi. Sed nulla harum per se satis est, ut Christus dicatur principalis offerens. Non prima, quia aliud est instituere sacrificium; aliud offerre. Deus in veteri Lege instituit sacrificia Mosaica; non tamen ideo fuit principalis offerens. Nec secunda, quia non solum vis & efficacia sacrificij Missæ, sed etiam omnium sacrificiorum veteris Testamenti, & similiter omnium sacramentorum noui Testamenti, fundatur in meritis Christi; & tamen non ideo Christus est principalis offerens aut minister in omnibus sacrificiis & sacramentis. Nec tertia, quia Deus non solum physicè, sed etiam principaliter efficit actionem transubstantiationis; Et tamen non censetur principalis offerens. Et hæc sufficient de Christo. Nunc de ministris eius videamus.

7. *Secunda conclusio.* Nemo potest esse minister Christi in hoc mysterio, id est, nemo potest in persona Christi offerre sacrificium Missæ, nisi legitimè ordinatus sit sacerdos. Hoc patet ex Concil. Nicæno 1. cap. 14. vbi definitum est. *Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Missæ:* Ergo multo minus potestatem habent alij inferiores Diacono. Et ratio est evidens, quia sacrificium & sacerdotium necessariò connexa sunt: Ergo, vbi verum est sacrificium, ibi requiritur verum sacerdotium.

8. *Quæres,* an quilibet sacerdos legitimè ordinatus, possit legitimè offerre in persona Christi? Aliqui putat eos solos id præstare posse, qui sunt ab Ecclesia tolerati, non autem sacerdotes excommunicatos, suspensos, degradatos, schismaticos, hæreticos. Hos enim nec legitimè, nec validè offerre sacrificium,
etiam

etiamsi conentur id facere. Ita Magister in 4. dist. 13. Gratianus in cap. *Quod quidam*, 1. q. 1. & nonnulli alij. Ratio est, quia Patres docent extra Ecclesiam non posse esse vera sacrificia: sed omnes Sacerdotes, qui non tolerantur ab Ecclesia, sunt extra Ecclesiam: Ergo non offerunt verum sacrificium.

9. Hæc sententia potest tribus modis intelligi. Primo, quod Sacerdotes præcisi ab Ecclesia non possint validè consecrare Eucharistiam, ac proinde nec sacrificium offerre. Hoc falsum est; quia consecratio facta à vero Sacerdote, cum debita materia, forma, & intentione, semper est valida. Secundo, quod possint quidem validè consecrare Eucharistiam, non tamen sacrificium perficere; quia ad rationem sacrificij necessere est, ut offeratur à Sacerdote, tanquam ministro publico, & mediatore inter Deum & populum: Sacerdos autem præcitus non potest esse mediator inter Deum & populum, quia nemo potest hoc facere, nisi consentiente populo, & per Sacerdotem offerente: at populus non consentit, ut Sacerdos præcitus ab Ecclesia hoc faciat. Hoc etiam falsum est, quia omnis Sacerdos, quantumuis ab Ecclesia præcitus, potest validum sacrificium offerre, tametsi peccet offerendo, ut sentit D. Thom. quæst. 82. artic 7. & 8. Ratio est, quia potestas ordinis est indelebilis: ergo manet in Sacerdotibus ab Ecclesia præcisis: Ergo validè possunt sacrificare, licet non sine peccato. Tertiò potest intelligi, quod possint quidem in persona Christi, non tamen in persona Ecclesiæ, offerre sacrificium. Hoc verum est, si bene explicetur. Nam primà certum est, huiusmodi Sacerdotes habere characterem, seu potestatem offerendi sacrificium in persona Christi: ac proinde, si offerant, validum esse sacrificium, tametsi

peccent offerendo. Hanc enim potestatem habent vi ordinis, quam nunquam amittunt. Secundò certum est, eosdem Sacerdotes non posse offerre sacrificium in persona Ecclesiæ, nisi ex commissione Ecclesiæ: Ergo, si ab Ecclesia præcisè sunt, non censentur habere commissionem Ecclesiæ.

10. Vbi notandum est, totum officium Missæ constare partim ex substantia sacrificij; partim ex orationibus & ceremoniis. Vnde, licet totum perficiatur à Sacerdote, tanquam à publico ministro, inter Deum & homines constituto, nō tamen eodem modo. Nam in substantia sacrificij, gerit personam Christi; in aliis, personam Ecclesiæ. Igitur Ecclesia non potest illum priuare potestate, quam habet ex commissione Christi; potest tamen priuare potestate, quam habet ex commissione Ecclesiæ; quod fit per censuras Ecclesiasticas. Vide D.Thom.2.quæst.82.artic.6.ad 3.

11. Quod autem obiicitur ex Patribus, extra Ecclesiam non esse verum sacrificium, potest dupliciter exponi. Primò, non esse sacrificium verum, id est, non esse efficax & fructuosum, tam offerentibus, quam operantibus. Ita exponit Glossa, in cap. *Extra Ecclesiam*, 1.q.1.cui fauet D.Thomas quæst.82.art.7.ad 3. vbi sic habet; *Si Sacerdos ab unitate Ecclesiæ præsisus, Missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi; sed quia est ab Ecclesia unitate separatus, orationes eius efficaciam nō habent.* Secundò exponi potest, non esse verum sacrificium extra Ecclesiam, id est, extra ritum, quem seruat Ecclesia. At quis ille ritus est? Non aliud, quam accepto pane & vino, pronunciare hæc verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Extra hunc ritum, nullum fit sacrificium in lege gratiæ.

12. *Tertia conclusio.* Ecclesia, seu fideles qui sunt in Ecclesia, dicuntur etiam suo modo offerre sacrificium, ut passim docent Theologi. Et probatur primò à simili. Nam populus fidelis in veteri Testamento, dicebatur offerre sacrificium, ut patet ex illo Exodi 5.1. *Hac dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Et Numer. 26.3. *Hac sunt sacrificia, quæ offerre debetis.* Huc spectant exempla Saulis, Davidis, Salomonis, & aliorum, qui leguntur obtulisse, non per se sed per Sacerdotem, ut notat Augustinus in libro questionum veteris Testamenti, quæst. 46. Ergo idem, seruata proportione, de populo Christiano dici potest. Et hoc confirmatur ex canone Misæ, præsertim ex illis verbis; *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Itemque ex illis; *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Accedit ratio, quia sacrificium est cultus publicus & solennis totius populi; ac proinde nomine totius populi exhibetur Deo per Sacerdotem.

13. Quæres, quo sensu dicatur populus offerre sacrificium? Ratio dubitandi est, quia non videtur ullo modo concurrere ad sacrificandum. Vel enim concurrit per internam deuotionem, vel per externam oblationem. Posterius falsum est. Prius non sufficit, quia sacrificium est oblatio visibilis & externa: Ergo solo interno affectu non potest perfici. *Respondeo.* Populus in veteri Testamento dicebatur offerre duplii titulo. Primò, quia offerebat materiam sacrificij, ut panem, vinum, turtures, agnos, capras, & similia. Secundò, quia Sacerdos illius nomine sacrificabat, ut illi prodeisset. Vtrumque notat D. Augustinus loco citato. At fideles in nouo Testamento dicuntur offerre tri-

plici modo. 1. generatim, quia sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine Sacerdos offert. 2. speciatim, quia cooperantur sacerdoti sacrificanti, vel ipsi inferuiendo, vel procurando, ut pro ipsis offerat. 3. quia interno affectu desiderant esse participes sacrificij.

C A P V T . X I I .

*Quem valorem & effectum habeat
sacrificium Missæ.*

1. Hactenus explicata est essentia huius sacrificij; nunc vis & efficacia eius explicanda est. Quæritur ergo, quem valorem & effectū habeat, vel, quod idem est, in quem finem ac usum à Christo institutum sit? Repeto, quod supra dixi, sacrificia Mosaica fuisse quadruplicia. 1. Latreutica. 2. Eucharistica. 3. Impetratoria. 4. Propitiatoria. Vis & efficacia illorum erat huiusmodi. Latreutica valebant ad colendum Deum: Eucharistica, ad gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis: Impetratoria, ad acquirenda noua beneficia: Propitiatoria, ad expiationem peccati.

2. Nunc quæstio est, ad quid horum valeat sacrificium Missæ? Catholici docent ad omnia valere. 1. ad colendum Deum. 2. ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, & nominativi pro beneficio mortis, ac ad placandum Deum, & expianda peccata. Itaque hoc unum sacrificium simul esse Latreuticum, Eucharisticum, impetratorium, propitiatorium. Lutherani & Caluinistæ, concedunt quidem, reuocari posse ad Latreuticum & Eucharisticum: negant tamen ullo modo esse impetratorium & propitiatorium. Hoc ergo examinandum est.

3. *Prima conclusio.* Sacrificium Missæ prodest ad noua beneficia à Deo impetranda, idéoque recte vocari potest sacrificium impetratorum. Hoc patet ex Liturgiis Iacobi, Clementis, Basiliij & Chrysostomi, in quibus iubemur inter offerendum orare pro pace, pro copia fructuum, & aliis beneficiis temporalibus. Item docent antiqui Patres. Tertullianus in libro ad Scapulam, sic habet: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Cyrillus catechesi quinta Mytagogica: *Super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa, pro omnibus, qui egerint auxilio.* Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. *Vnus ex presbyteris obtulit ibi (nempe in domo infestata à dæmonibus) sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; & Deo protinus miserante, cessauit.* Similia habet Chrysostomus homil. 8. & 21. in Acta Apostolorum, Prosper in lib. de prædictionibus Dei, cap. 6. dimidij temporis, Gregorius homil. 37. in Euangelia, Beda lib. 4. historiæ Anglicanæ, cap. 22. & alij.

4. Hæc conclusio fundatur in duobus principiis; Vnum est, quod Missa sit sacrificium propriè dictum. Hoc supra confirmatum est, partim ex Scriptura, partim ex communi Patrum & torius Ecclesiæ consensu. Alterum, quod omnes differentiæ sacrificiorum veteris Testamenti, contineantur in sacrificio Missæ. Hoc docent Chrysostomus in Psalm. 95. Augustinus libro primo contra aduersarium legis & Prophetarum, capite 20. & Leo Papa sermone octauo de passione Domini. Ex utroque principio sic argumentatur; In veteri Testamento erant aliqua sacrificia impetratoria: Ergo etiam sacrificium Missæ, in quo continentur omnes

omnes differentiæ sacrificiorum veteris Testamenti, est impetratorium. Se quela manifesta est. Antecedens probatur variis exemplis. Primo, Dauidis, qui obtulit sacrificium pro peste auertenda & impetravit. 2. Reg. 24.25. Secundo Oniae, qui obtulit pro vita Heliodori, quam etiam impetravit. 2. Macha.3.32. Tertio Hebreorum, qui obtulerunt pro vita Regis Darij, & filiorum eius. 1. Esdr.6.10. Sanè, si hanc vim habuerunt sacrificia Mosaïca, cur nostrum non habeat, quod multo illis perfectius est?

5. *Secunda conclusio.* Sacrificium Missæ prodest etiam ad placandum Deum & expianda peccata, ideoque rectèvocari potest sacrificium propitiatorium. Ita Concilium Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3. & passim antiqui Patres. Iacobus in Liturgia sic habet; *Offerimus tibi in-cruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantias populi.* Basilus in Liturgia; *Effici nos dignos, qui offeramus sacrificium hoc reuerendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui.* Chrysostomus in Liturgia; *Ide-neos nos redde ad offerenda tibi sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantias.* Augustinus quest. 57. in Lenticulo; *Illi sacrificiis, que pro peccatis offerebantur, unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.* Quid clarius dici potuit? Nec verum est, quod Hutterus Lutheranus in suo Triumpho, ex desperatione contendit, Augustinum loqui de sacrificio crucis, in quo vera fit remissio peccatorum. Omnipotenter loquitur de sacrificio missæ seu Eucharistie. Sic enim habet; *Sed cum Dominus dicat, Nisi manducaueritis car-nem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quid sibi vult, quod à sanguine sacrificiorum, que pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significaba-*

tur,

iur, in quo vera fit remissio peccatorum; à cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur? Hic quærit Augustinus, quare Iudei prohibitæ fuerint sumere sanguinem sacrificiorum, quæ in veteri Testamento pro peccatis offerebantur; cum tamen Christiani non prohibeantur, sed inuitentur ad sumendum sanguinem sacrificij illius, in quo fit vera remissio peccatorum, & quod per vetera sacrificia sit præfiguratum: Certè Christiani non inuitantur ad sumendum sanguinem sacrificij crucis, sed Eucharistiæ: nec Christus de sacrificio crucis, sed Eucharistiæ locutus est, cùm dixit; *Nisi manduaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

6. Hic vnum Augustini testimonium meritò sufficeret homini cordato; præsertim, cum non solus Augustinus ita sentiat, sed alij Patres cum illo, Origenes, Iustinus, Athanasius, Ambrosius, & quos paulo ante citaui, Iacobus, Basilius, Chrysostomus. Accedit ratiō, quam superius attigi, quia omnes differentiæ vetrum sacrificiorum continentur in sacrificio Missæ: sed in veteri Testamento erant aliqua sacrificia pro peccatis, quod negari non potest: Ergo & sacrificium Missæ est tale.

7. Duo supersunt explicanda. Vnum est, vnde sacrificium Missæ habeat hanc vim imperandi beneficia à Deo, & expiandi peccata? Alterum, quo sensu dicatur expiare peccata? an scilicet, quoad culpam, an tantum quoad pœnam? Est ergo prior quæstio, vnde habeat vim imperandi & propitiandi? *Respondeo.* Habet eam ex duplice capite. 1. Ex opere operantis. 2. ex opere operato, ut vocant. Dicam clarius. Duplex fructus accipi potest ex sacrificio Missæ. Alter ex fide &

deuo

tione sacerdotis, qui sacrificat; itemque ex fide & deuotione populi, qui assistit & consentit sacrificanti. Hic autem fructus non debetur sacrificio, quatenus sacrificium est, sed quatenus est actus virtutis. Omnis enim actus virtutis, qui ab homine iusto in hac vita exercetur, habet vim quandam merendi, satisfacendi, & impetrandi apud Deum. Sicut ergo iustus per actum eleemosynæ, aut orationis, aut ieunij potest sibi & alijs aliquid impetrare apud Deum; sic etiam per oblationem sacrificij Missæ. Alter fructus est proprius huic sacrificio, quatenus sacrificium est, & ex peculiari Christi promissione illi debitus & annexus. Christus enim sic instituit, ut quotiescumque sacrificium hoc offertur pro impetrandis beneficijs, aut remittendis peccatis sortiatur hunc effectum, nisi ex parte nostra sit aliquod obstaculum. Et hic effectus non pendet à deuotione sacerdotis, sed ex liberali Christi promissione (quam per traditionem accepimus) & fundatur in meritis & satisfactionibus Christi. Igitur prior effectus, qui pendet à fide & deuotione offerentis, censemur conferri ex opere operantis. Posterior, qui fundatur in meritis & promissione Christi, ex opere operato.

8. Posterior quæstio est, an sacrificium Missæ expiat peccata, quoad culpam, an quoad pœnam? Respondeo. Immediate non expiat, nisi quoad pœnam temporalem. Nam culpa, præsertim mortalís, non sallet ordinariè tolli, nisi 2. modis. Primo, per contritionem extra sacramentum. Secundo, per attritionem in sacramento, potissimum Baptismi & Pœnitentiaz. Igitur sola pœna temporalis, siue in hac vita, siue in Purgatorio luenda, tollitur per sacrificium Missæ. At quomodo hoc fit? per applicationem satisfactionis Christi.

sti. Christus enim in cruce abundè satisfecit pro omnibus mundi peccatis, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. Hęc autem satisfactio, quoad culpam, applicatur nobis per fidem, contritionem, & sacramenta: quoad pœnam, per sacrificium Missæ, & alijs modis.

9. Ex dictis facile diluuntur obiectiones Adversariorum, quibus contendunt, hoc sacrificium non esse propitiatorium pro peccatis. *Prima est:* Nulla fit remissio peccatorum sine sanguinis effusione, Hebr. 9. 22. At in Eucharistia non est sanguinis effusio: ergo in Eucharistia non fit remissio peccatorum: ergo non est sacrificium propitiatorium. Ita post Calvinum Baldinus in Notis ad Disputationem meam de Communione sub virtuquæ specie, David Paræus in c. 9. Epist. ad Hebræos, & alijs. *Respondeo.* Hoc argumentum sic potest retorqueri. Nulla fit remissio peccatorum sine sanguinis effusione: At in fide iustificante non est sanguinis effusio: ergo per fidem iustificantem non fit remissio peccatorum. Ergo falsum est, quod dicunt aduersarij, peccatores iustificari per fidem. Falsum est, quod clamant, fidem iustificantem in eo consistere, quod quis certò credat, remitti sibi peccata, dum credit. *Quid hic dicent?* Sed ad rem. Verba Apost. sic sunt intelligenda: Non fit remissio peccatorum, in veteri Lege sine effusione sanguinis. Loquitur enim de Iudæis, non de Christianis. *Omnia pene, inquit, in sanguine secundū Legem mundantur, & sine sanguinis effusione nō fit remissio.* Sensus est, secundum Legem Mosaicam, nullum erat sacrificium pro peccato, sine effusione sanguinis hircorum aut aliorum animalium. *Quid hinc colligent aduersarij contra sacrificium Missæ?* Non plus sanè, quam contra sacrificium crucis. Sic enim debe

deberent argumentari: Nulla fiebat remissio peccatorum in veteri Testamento, sine effusione sanguinis hircorum aut aliorum animalium: At in sacrificio Missæ non est effusio sanguinis hircorum aut aliorum animalium: Ergo in sacrificio Missæ non fit remissio peccatorum. Ineptissimè. Nec in sacrificio crucis facta est effusio sanguinis hircorum aut aliorum animalium. An ideo non est facta remissio peccatorum? Viderint aduersarij, qui sic ludunt in Scripturis.

10. Addo, tametsi Apostolus loquatur de remissione peccatorum in veteri Testamento, quæ non fiebat sine effusione sanguinis animalium; verba tamen eius posse accipi generatim, hoc sensu: Nulla fit remissio peccatorum, siue in veteri, siue in novo Testamento: sine effusione sanguinis Christi. Nisi enim Christus suum sanguinem pro nobis effudisset, nemo nec in veteri, nec in novo Testamento potuisset Deo reconciliari, & peccatorum remissionem accipere. Hęc tamen reconciliatio & peccatorum remissio, quæ per effusione sanguinis Christi facta est, non eodem modo applicatur nobis in novo Testamento, quo Iudeis applicata fuit in veteri. Illis enim applicabatur per cruenta sacrificia animalium, ut ex Apostolo dictum; nobis per sacrificium Missæ in cruentum, & per sacramenta Baptismi & pœnitentiæ.

11. Secunda obiectio. Nullum sacrificium s̄epius iteratum potest perficere cultores, teste Apostolo: At Missæ sacrificium est s̄aepē iteratum: Ergo non potest perficere cultores, ac proinde nec peccata remittere. Ita David Pareus in c. 10. ad Hebræos, & alij. Respondeo. Et hoc argumentum sic retorqueti potest: Nullum sacrificium s̄epius iteratum potest perficere cultores, teste Apostolo: At fides & alia pia opera, quæ secundum

dum aduersarios, sunt sacrificia Christianorum, saepius iterantur: Ergo non possunt perficere cultores. In utroque syllogismo neganda est maior proposicio, quæ falso tribuitur Apostolo. Nam Apostolus solum confert sacrificia Mosaica cum sacrificio crucis Christi: Et dicit hoc interesse quod Mosaica, tametsi saepius repeterentur, & non tamen potuerint per se perficere & iustificare Iudeos; quod verissimum est. Sacrificium autem crucis, quod semel oblatum est, per se fuerit infiniti valoris, ac proinde sufficien-
tissimum ad iustificandos homines; quod etiam verissimum est. Eo tamen non obstante, necesse est, fructum sacrificij crucis nobis applicari, nec semel tantum, sed quoties indigemus. Sicut ergo potest applicari per fidem & Eucharistiam saepius iteratam, ut fatentur aduersarij, cur non similiter per sacrificium Missæ saepius iteratum? Et sic factum est in veteri Testamento. Nam quoties Iudæi in certa quædam peccata prolapsi erant, iubebantur offerre sacrificium propitiatorium.


C A P V T X I I I .

*An valor & effectus huius sacrificij
sit infinitus?*

I. N vtramque partem est ratio dubitandi. Videatur esse infinitus, quia res oblata est infinita. Contra, videtur esse finitus, quia oblatio est finita. Sed distinctione opus est. Aliud est valor, aliud effectus sacrificij. Valor significat moralem dignitatem, quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatae. Effectus autem est id, quod de facto datur intuitu illius dignitatis. Hoc posito, sit

2. *Prima conclusio.* Sacrificium Missæ, secundum se, est infiniti valoris ad impetrādum. Ratio est, quia tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte oblationis est æquale sacrificio crucis: at sacrificium crucis fuit infiniti valoris: Ergo & sacrificium Missæ est tale.

3. *Secunda conclusio.* Nihilominus effectus illius est finitus; quia ille non debet mensurari secundum valorem & dignitatem sacrificij, sed secundum institutionem & promissionem Christi. Simile est in meritis Christi, quæ secundum se fuerunt infiniti valoris; & tamen habuerunt effectum finitum ex ordinatione Dei.



APPENDIX.

*An Christus aliquando appareat in sacrificio
Missæ sub forma carnis, aut san-
guinis, aut pueri.*

1. **A G N I** Authores referunt huiusmodi apparitiones aliquando factas esse, ut Paschalias in lib. de Eucharistia cap. 14. Guitmundus lib. 3. de eodem Sacramento, Amphilochius in vita Basiliij, vbi refert quendam Hebreum solitum fuisse videre infantem dari manducandum communicantibus. Et in quibusdam locis adhuc extat sanguis, qui hoc modo apparuit.

2. Solent autem tribus modis fieri huiusmodi apparitiones. 1. virtute diuina. 2. per illusionem dæmonum. 3. ex vehementi imaginatione, vel læsione & debilitate phantasie. Iḡitur opus est discretionē spiri-

spirituum, ad discernendum, an fiant hoc vel illo modo. Hæc regula seruanda est. Quando à Deo fiunt, potissimum fieri solent ad confirmationem fidem de præsentia Christi in Eucharistia. Quod si fiant ob aliud finem, res diligenter examinanda est. Maximè autem suspecta esse debet apparitio, quæ fit mulierculis.

3. Huiusmodi apparitiones dupliciter fieri possunt à Deo, ut notat D. Thomas 3. p. q. 76. artic. 8. & alij passim. Primò facta immutatione ex parte videntium, ut quando quis putat se videre puerum aut carnem in Eucharistia, & tamen ex parte rei non sit vlla mutatio. Secundò, facta immutatione ex parte Eucharistiæ, ut quando reuera apparet species pueri vel carnis in Eucharistia. Porro, ad discernendum, an fiat mutatio ex parte videntium, an ex parte Eucharistiæ, duplex signum adfertur à D. Thoma. Vnum est, si eodem tempore, vni aut alteri apparet forma pueri, & aliis forma hostiæ; mutatio fit ex parte videntium tantum, & non ex parte Eucharistiæ. Si enim fieret ex parte Eucharistiæ, iam ab omnibus æqualiter perciperetur, & non ab uno vel altero tantum; nisi posito novo miraculo, quod non facile admitti debet. Alterum, si apparitio carnis aut pueri duret breui tempore, & statim iterum appareat hostia, sicut antea apparuerat; iam etiam mutatio tenet se ex parte videntium, non autem ex parte Sacramenti. Hæc signa probabilia sunt.

4. *Dices.* Nulla apparitio deceptoria potest esse à Deo, quia Deus, sicut non potest mentiri, ita non potest decipere aut fallere aliquem: sed omnes apparitiones, quæ sunt ex parte videntium, nulla facta mutatione in Eucharistia, sunt deceptoriae, quia nihil aliud sunt, quam illusiones sensuum: Ergo non fiunt

à Deo. Respondeo. Ex fine æstimandum est, an sint deceptoriae, nécne. Si fiant per præstigias & illusiones dæmonum ad decipiendos homines; sine dubio deceptoriae sunt. Si fiant à Deo, ad manifestādam præsentiam corporis Christi in Eucharistia, vel ad similem finem (ut factū est discipulis euntibus in Emaus, quibus apparuit Christus sub specie hominis peregrini) non sunt deceptoriae, sed alicuius veritatis aut mysterij significatrices. Huc spectat illud Augustini lib. 2. quæstionum Euangelicarum, cap. 51. *Non omne, quod fingimus, mendacium est; sed quando id fingimus, quod significat nihil, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.*

5. Solet disputari an in his apparitionibus, quando à Deo fiunt, præsertim facta mutatione ex parte Eucharistiæ, videatur vera caro, aut sanguis Christi; an tantum externa species carnis aut sanguinis? D. Thomas, & nonnulli alij; putant videri solam speciem carnis & sanguinis, non ipsam carnem & sanguinem. Ratio est, quia id, quod apparet, solet aliquando multis annis asseruari. Est autem indecens carnem aut sanguinem Christi asseruari, extra corpus Christi. Multi tamen contrarium sentiunt, ut Alexander Alensis 4. pag. quæst. 53. membr. 4. artic. 3. Gabriel lect. 51. in Canōnem, Palacius, distinct. 10. disputat. ultima. Res incerta est, de qua nihil affirmare ausim.

F I L I O N I S.

GRANADA









EE 701

